

79





211





MATHIAE CASIMIRI
S A R B I E V I I
POETAE POLONI
CARMINA.

Commentarium perpetuum in Carmina MATHIAE CA-
SIMIRI SARBIEVII e Soc. Jesu et Poëtae Poloni a nostris
Professoribus conscriptum, legimus nihilque in eo,
quod vel Sanctae Religioni maculam aspergat, vel
supremi Regiminis incolumitatem turbare posset, re-
perimus. Dabamus Varsaviae die 27 Mensis Julii 1830
Anno.

P. Adamus KAMIONOWSKI Praeptus Prov.
P. Cajetanus Kamieński Ex Prov.
P. Jacobus Ciastowski Consultor.
P. Paulus Redecki Consultor.
P. Edmundus Andraszek Assistens
Secretarius.

MATHIAE CASIMIRI
SARBIE VII
POLONI

E SOCIETATE JESU.

CARMINA

IN USUM

JUVENTUTIS POTISSIMUM SCHOLASTICAE

CUM COMMENTARIO

A P.P. SCHOLARUM PIARUM
POLONAE PROVINCIAE

EDITA



VARSOVIAE
Typis Scholarum Piarum Anno

1830.



Capitor maxime nostratibus.
Cic. V. Tusc. 90,

K 382 hy



DE EDITIONE
OPERUM LYRICORUM
MATHIAE CASIMIRI
S A R B I E W S K I
SUSCEPTA a PP.
SCHOLARUM PIARUM.
VARSAVIAE
1829.



QUOD sit, fueritve de SARBIEVIO judicium virorum, qui a seculo XVII. inde usque de literis latinis bene mercri conati sunt, id vero quam plurimae passim per omnem, quate patet, Europam editiones tentatae et saepius repetitae, manifesto comprobant. Simil enim prima 1625 Coloniensis, lucem publicam aspergit, mox in auctore nostro iteratis vicibus excudendo Vilna, Antverpia, Roma, Parisii, Gedanum, Amstelodamum, Colonia Agrippina, Argentoratum et denique Buda Hungarorum inter sece literario quedam certamine contenderunt; cum novas

semper editiones suas, vel absolutiores conquisitis undique vel fragmentis, vel operibus ita dictis posthumis molirentur, vel rudio-rem vetustatem arte typographica recentiore superatueros existimarent. Perventum est eo denique, ut immobilibus characteribus eleganissimis Budae Hungarorum anno 1824. prodierit. Sed omnibus his editionibus praestitum nihil ultra est, quam quod priores pleraeque et potissimum nitidiores, Argento- ratensis et Budensis stereotypa, quae utraque penitus convenit, vitam auctoris praeferrunt, et indiculum geographicum appendicis vice additum habent. Praestitum inquam nihil, adeo quidem, ut antiquarum editionum errores plerique impune per omnes recentiores hospitari permissi, neque etiamnum Philologorum sententia exilio merito damnati sint.

Ut rei veritatem cognoscere possis, Odam Lib. primi XII. mecum examina, et videbis, quantopere alia super aliam editio, in priorum verba jurantes peccarint, et quantopere indiculus geographicus sit imperfectus, quamque lectorem ipse omnium Editionum consensu dubium ancipitemque relinquit.

Versus 36 Dactylicus-Alcaicus haec habet
verba: *Et Tyros et Genoëssa flavo* etc. frustra
tu *Genoëssam* in geographicō indiculo quaesiveris, frustra in Strabone, Ptolemaeo et aliis
ejus argumenti scriptoribus. Ac nisi mihi Geographicum Dictionarium Stephani et ejus editoris L'Holii evolventi forte fortuna in oculos
Gonoëssa incidisset, Delio alicui urinatori
expiscandum eum locum relinquere coactus
fuisse. Sed ejusmodi fortuita expeditio plurimum mihi profuit ad alios ejusdem *Odes*
errores indagandos. Itaque postquam in 56
versu geographice explicando, atque in *Arasino*
quaerendo oleum et operam longam
perdidisse, mox in mentem venit, vocalem
unam vel alteram in aliam esse commutandam.
Neque ea opinione sum falsus; prima
enim quaestura felix fui, atque *Erasinus*
inventus omne dubium correctionis sustulit.
Complusculi item aliorum auctorum loci ad
locos ostensos Sarbievii explicandos insanum
bene opitulati sunt, et me gaudii compleverunt.
Cum enim Sarbievius Gonoëssam auro
suo pallescere singat, necesse est Gonoëssam
auro divitem fuisse. Opportune Homerus

Jliad. s. versu 573. Γονοëσσαν αἰπεινήν, altam excelsam Gonoëssam dicit. Eustathius porro in eum versum: Γονοëσσα δὲ ἀκροτηρίου Πελλήνης ητος ἐνθυσται κατάτερω. διὸ καὶ αἰπεινήν αὐτην ὁ ποιητης καλει δια το των ἀκροτηρίων υψηλον, ὡς ἐπε πόλι — ο δὲ γεωγραφος Θυσίου, ὅτι μετα Σικυωνα Πελλήνη κειται quibus verbis indicatur Peloponnesi urbs sita ad Sicyonem, quae erat quasi Peloponnesi una cum Corintho janua, ut a nostro Sarbievio accipi pro tota Peloponneso potuerit; quae etiam αἰπεινή dicitur, eo quod in ejusmodi ἀκροτηρίᾳ, quae sunt urbium arces munitissimi scilicet loci, cum obsiderentur ab hostibus, civium divitiae congeri solitae fuerint. Erasinum vero Peloponnesi fluvium et Plinius laudat et Ovidius Metamorphoseco Lib. XV. et Paus. Lib. VIII et Strabo Libr. 6. Plurimum tamen Stat: in Theb. lib. 1. huc facit, qui eodem ac noster epitheto usus: *Erasinum gelidas ad Arctos surgere fingit.*

Nam errorem versus 39 facile animadvertere licet cuique, nisi penitus hospes sit Metricae latinae. Est enim versus jambicus quaternarius seu dimeter hypercatalecticus pro

▼

ratione strophae Alcaicae , quam duo Alcaici
choriambici , tertius Jambus , quem dicimus ;
quartus alcaicus daetylicus constituunt . Nus-
piam autem vel in Horatio vel in Nostro
repereris primum pedem Jambici hujus Ana-
paestum , qualem necesse est fieri , si ad-
mittas lectionem *Phithieque* , quod mendum
in utramque ultimam Argentoratensem et Bud-
densem irrep sit , et quod nullam non modo pro
se auctoritatem habet , sed antiquioribus editionibus
in primis Antverpiana Anni 1632 fa-
cili negotio refutatur , quae *Phtieque* lec-
tionem veram et antiquam tuetur . Porro
in versu 64 leguntur verba ; *Hanc Paphii*
rogat ora Cypri , quae necessario com-
mutanda sunt in *Paphiae rogat ora Cypri* ;
nuspia nū enim me legere memini *Cyprum*
in genere masculino , qui error non recen-
tium modo , sed antiquarum etiam editionum
est . In versu quoque 80 *Throezen* aspirata
priore consonante legitur , quod omni ortho-
graphiae et auctoritati antiquorum repugnat ,
quae constanter lectionem *Troezen* obtinent .
Vide Stephanum de Urbibus , ubi non in
litera Θ sed τ reperitur .

In versu denique proximo 81. *Caeaque valles* dupliciti ae occurrit, quod non est orthographicos ex modo laudati Stephani sententia. Ait enim: Κῶς πολὺς καὶ νῆσος . . . Τότε γίνεται Κύπρος καὶ εκτάσει Κύπρος, αἱ τῆς Τίμης καὶ Τίμηος διὰ διφθορροῦ. Ex quibus apparet omnino scribendum esse: *Caeaque valles*.

Atque ita sex erroribus unam Oden expedisse nobis videmur: quorum antiqui rationem habuere nullam, quod nemo commentationem suscepit, nemo indiculum Geographicum negligentissime alioquin confectum, ausus est reparare. Sequitur inde, nisi quis obstetricias manus adhibere conetur, Auctorem nostrum Editionibus multiplicatis, adeo denique de foedari necesse esse: ut postremo erroribus etiam accumulatis vix possit aliquis sensus certi. Unde sapientissime opinor Cl. Professorem Universitatis nostrae πολύμαθη Wölkiūm edixisse in dissertatione sua de Sarbievio, quam praemisit Programmati Universitatis nostrae Varsaviensis anno 1825 esse etiamnum locos qui in auctore nostro sint corrigendi. Exemplo esse voluit locum ex Ode XV. Lib. I. cuius hic est textus: *Cum versa Thracum parma*

*tremen*tibus, Frondere *hastis*; cum celer
*Artace*n Turresque Byzanti probrosis *Con-*
canus assonuisse^t armis. Ait vero claris-
simus Professor videri sibi pro *ταν* fronderet
substituendum frenderet; adeo, ut inde ne-
cess^e sit, hanc constitui sententiam: Cum ver-
sa parma Thracum frenderet hastis tremen-
tibus. Sed pace ejus dixero: hic saltem nulla
mutatione opus esse, quomodo enim parma
frendere armis frementibus potest? Frondere
vero cur non? Parma versa est equitum par-
ma in fuga in tergum rejecta: in eam par-
mam plurimae Polonorum conjectae hastae
inhaerentes tremebant superiore sui parte
cum cuspis ipsa se intra parmam insinua-
set, atque ita infixae et haerentes hastae spe-
ciem frondentium parmarum, quasi fronde
ligne^a hastilium exsurgentium haberent.
Præterea *τω* frondere Sarbievius item usus
est translate Ode XVIII. Lib. I. v. 7.

Sed vel maxime hue facit locus ex Lucani
Lib: VI. v. 205. quem Sarbievius noster hoc
loco sequutus videtur: ubi Lucanus heroa
sun^m Scaevam fortissime pro muri ruina cer-
tantem et telorum tempestate obrutum descri-

bit his verbis: *densamque ferens in pectore silvam. Frondere arborum et silvarum est: unde nec frendere substitendum. Ceteros quos ipse jam prospicio emendandos locos temporis servabo,*

Judicia porro de Sarbievio nostro , multo illa honorificentissima sunt , quae Langbeinius longa serie retexit , quibus addendum nihil quidquam existimarem , nisi animum maximopere perstrinxisset anonymi cuiusdam Germano-Borussi Philologi in prima Rathsmanianae editionis pagella scripta literis vix lectu facilibus , et impulisset sententia , ut eam apponem integrum , quantum quidem perlegi potuit:

„ SARBIEWSKI ein Pindarisch gebildetes
 „ Genie ist dem vom Herder herausgegebenen
 „ Balde noch überlegen : hat weit mehr
 „ Schilderung (haec maxime vox suspecta
 legenti fuit, et anceps , adeo quidem , ut
 primo intuitu pronior fuisse in vocem Schic-
 kung) „ ist, gleichsam der Gränzstein zwi-
 „ schen antiker und moderner Dichtkunst.
 „ Es war eine Zeit, wo das fleissige Lesen
 „ seiner Gedichte zur Tagesordnung gehörte,
 und

„ und wo sogar Kritiker den Sarbiewski einem „ Horaz an die Seite, wohl gar über „ setzten. Eine beträchtliche Anzahl der „ Auslagen seiner Gedichte beweist, wie häu- „ sig er bis in die Mitte des laufenden „ Jahrhunderts gelesen worden sey, und „ jeder der sich mit der Dichtkunst nicht „ als Reimschmidt beschäftiget, kann den „ ehrlichen Polaken nicht entbehren.

Meo illam periculo in gratiam eorum
qui literarum germanicarum sunt rudes ita
latine exposui.

Sarbievius Pindaricum nactus ingenium
ipsi etiam Balde, quem Herderus nuper eden-
dum curavit, superior est, eumque fictionis
facultate antecellit, ut recte Sarbievium ap-
pellare possis terminum, qui antiquam illam
Poësin a nostra hac posteriore discriminat.
Erat enim tempus, cum diligens Sarbievii lec-
tio ad diurni temporis ordinem pertineret,
imo etiam literarum ingenuarum Critici Sar-
bievium non aequipararent solum, sed ipsi
Horatio anteferrent. Editionum inter se
certamina comprobant, quam frequens fuerit
ad dimidium seculi nostri, ejus legendi com-

mendatio , et quantopere nemini cuiquam , qui
in Latio non hospes versari , vel cudentoram
versuum Poëtastri nomen evitare velle vide-
retur , cui inquam egregius Polonus ignotus
esse impune posset ,

Et si quid suit , quod stomachum Car-
dinalis Durini adversus Sarbievium potuit
excitare ; tum illud aliunde ortum non esse ,
quam ut scriptore nostro Sarbievio postpo-
sito , alterum Pindarum Polonum orbi lite-
rario ignotum tanto pluribus in coelum lau-
dibus ferret , tuto gaudere , de Sarbievio se-
enris , licet .

Nostrum Rossi , Galli , Angli , Itali ,
Hungari , Scoti classicorum numero Scholis
suis praelegendum destinaverunt .

Neque nos in Editionem praesentem
excitatos a popularibus nostris quisquam
credere in animum inducat : exteri nos , qui-
bus Polonica nostra inspersa carminibus ne-
gotium facessabant , tandiu quietos esse passi
non sunt , donec manum operi adhibuisse
cognovissent .

Fatemur plurimis locis plura fortassis
a nobis desideranda , alibi pauciora fuisse .

Sed illud identidem animo legentium obver-
setur, nos pro instituti ratione omnia nostra
scholasticae juventuti impensa debere.

Aliorum petentium voluntas semel exci-
tatos, ad discipulorum prosectum continuo
incitabat. Professor diligens illud maxime ob
oculos sibi desigat, nos perpetuis exemplis
classicis demonstratum inivisse: quantopere
Sarbievius latini sermonis puritatem Polonus
persecutus fuerit, et quantum Romana Lau-
ro dignum se praestare contenderit.

Collatis enim, quod nobis maximae cu-
rae fuit Latinorum Poëtarum locis, appare-
bit, ubi nos Poëtae nostro primas aliquando
prae ipsis exemplaribus Latinis tribuere ausi
merito simus, tum vero vel maxime, si quid
nostro commentariolo minus apte explicatum
repertum fuerit, ex aliorum auctorum locis
parallelis haurire tanto plus lucis et intelli-
gentiae liceat.

Quid porro ipsis discipulis jucundius,
quam videre popularem suum Sarbievium
sumnis illis omnium retro seculorum viris
collatum? Quid ad aemulandam laudem ve-
hementius? quid ad comparandam obiter
classicorum cogitionem facilius esse potuit?

Atque hic jam in limine licet meritis-
mas gratias agere Generoso Magnisico Do-
mino Rudominae, qui collectis undique in
rem praesentem monumentis literariis ope-
ram nostram multum adjuvare, vel in Fami-
iliarum Lithvânarum origine indicanda vel in
geographicis descriptonibus locorum expe-
diendis contendit. Utinam alii quoque, si
dignam praesentem judicaverint editionem,
in medium prodesse conentur!

Illiud denique etiam falsos esse lectores
nolumus, futuro nos commentario nostro
Grammaticam latinam, praemissuros, ad e-
amque deinde commentarium hunc collinea-
tum iri. Cumque eadem Grammatica, quam
a 30 annis, et quod excedit, meditabamur,
nonumque in annum comfetam premebamus
jam prelo subdita sit, nihil inde morae Sar-
bievio nostro, et aliis octo Lyricis Polonicis
uno tenore edendis timeatur. Imo commen-
tarium eo contractiorem sperare licebit, quod
novarum animadversionum grammaticarum
non vestigia, sed ipsa, ut ita dicam, cubilia
verbis paucissimis poterunt indigitari. Po-
stremo est quod gaudeamus, Versionem Poëtae

nostri in linguam patriam faustissimis avibus
ferri penna Egregii P. A. Załeski Ordinis S.
Benedicti Professi et Professoris Pultoviensis.

Valete amici Scholasticae eruditionis,
et favete!

MATHIAE CASIMIRI SARBIEVII Vi-
tam Poëtae nostri hic Tibi, lector amice
sisto breviusculam, quae Tibi Odas Libri
I. evolenti, et comparanti, in lumine suf-
ficienti collocatura sunt. Aliam molimur,
quae suscipi vix ad initium III. Libri poterit,
eo quod multis indigebit vel itinerum spatiis
ad loca natalia arbitrandā et vitae domesticae
latebras inspiciendas, vel virorum instituto
nostro saventium consiliis conquirendis.

Nobili loco natus Sarbievius 1595 anno
avo usus est cum toga tum sago illustri; sed
eum fortunae volubilis rota ita obtrivit, ut pa-
trem ejus cum honoribus tum facultatibus
plerisque exuendum non dubitaverit. Mater
gente Milewska probitate instillans, opti-
mis moribus adolescentem efformavit. Jam-
que domesticis institutionibus jam a PP.
Jesuitis Pultoviae humanioribus literis imbu-
tus, latinae lyrae appetentissimus ibidem ad

Narviam Musarum primitias modulabatur, cui rei argumento sit Ode ad Narviam quae Libro II. locum 15 explet, omnium odarum quantum puto, elegantissima, et tamen in optima editione Antverpiensi Moretina nescio quo fato omissa.

Inpensa duorum annorum opera Philosophiae mox eum dignorem ostendit, qui in tirocinium vitae religiosae Patrum Societatis IESU Vilnae anno 1612 susciperetur. Annum unum Novitus, mox duos Philosophus, annis perpetuis novem ibidem Rheticam in Academia est professus. Haec inter, quam suae Poëseos non esset oblitus mirifice declaravit Oda ad Stanislaum Kiszka Episcopnm Samogitia, cum Cathedram Episcopalem ascenderet, 1618; et paulo post, anno videlicet 1619 ad Joanneui Chodkiewicium, cum Gymnasium Crosense dedicaret Panegyricus versu heroico decantatus. Utrumque carmen reperies inter Miscellanea.

Theologiae audiendae maturus ei sese disciplinae addixit domi a Professoribus suis erudiendus ab anno 1616, horasque suas inter Philosophiam complendam, et Theolo-

giam inchoandam egregio certamine disperitus est. Cumque dignum videretur Sarbievii ingenium, quod subjecta undique materie Poëticum et Theologicum efformaretur, missus est a Patribus Societatis Romam, ad domicilium illud et sapientiae severioris, et Religionis ex fonte utique purioris: et patriam summorum illorum: Virgilii et Horatii Poëtarum.

Romae commoratus videtur annos quinque, adeo quidem, ut creditu difficile sit, quot illic libros partim componere, partim absolvere coepisset, quot virorum quarumque gentium amicitiam contraxerit, quantorum sibi vel Principum vel Moeccenatum animos conciliaverit, quibus laudibus et quo honore Romae habitus fuerit, quodque sui Romae reliquerit desiderium, cum scientiarum plurimarum, quas ipse locus suppeditabat, divitiis auctus in Patriam redire contenderet. Antiquitatum eximia cognitione dives Poëtico stylo eam comparavit et copiam et facundiam, ut ab Urbano VIII. ad castigandos hymnos ecclesiasticos adhibitus, monumenta et vestigia plurima suae indolis in

iis reliquerit. Celebratur Hymnus Paschalis ab ejus incude venustior rediisse: nihil tamen similius mihi quidem videtur quod primo intuitu magis τον Sarbievium ιζει, quam Hymnus in Festo Gratiarum actionis pro victoria ex Turcis anno 1621 ad Chocimum relata, in Breviariis nostris x Octobris ab Urbano eodem recitari jussus.

Redux in Poloniam 1627 anno in Academia Vilnensi Rhetoricam iterum, Philosophiam deinde, et denique Theologiam profitetur. Cumque inauguraretur praesente Vladislao IV. et Nuntio Apostolico ab ipso Rege annulo dignatus est, qui nunc omnium Doctorum Theologiae manus exornat, cum eum Magistratum adipiscuntur.

Inter haec Lechiadi XII. Libris a se conscriptae expoliendaे continuo vacat, donec a Rege Varsaviam vocatus, Praeconis verbi divini munere functus, eundemque Regem ad Thermas deinde Baadenses comitatus redux, sanctimonia vita illustris annum agens 45 Varsaviae magno omnium et Regiae domus luctu extinctus est.

MATHIAE CASIMIRI

S A R B I E V I I

CARMINUM LIBER I.

O D E I.

A R G U M E N T U M.

Quod cuique mirum videri possit, Editio stereotypa Budensis Anni 1828 aliam omnino præfert Odæ hujus inscriptionem, quam omnes antiquæ. Hæ enim constanter: *Ode I. ad Urbanum VIII Pontificem Max. cum infestae Thracum copiae Pannoniâ excessissent: cum illa: Ode I. ad Urbanum VIII Pontificem. Describit bona, quæ summum Urbani VIII Pontificatum universo orbi commendatura sunt.*

Cur editio Pannonica nolit mentionem fieri Pannoniæ, haud parva subesse ratio videtur. Aut enim noluit *infandum renovare dolorem* in limine legendi Poëtæ, quem facit maximi, quippe quæ malorum a Turcis illatorum immemor esse nequeat; aut Historiæ patriæ magis gnara adduci demum potuit, ut mulieram inscriptionem audacter susciperet. Si Hungari asserere voluerint prius, liceat condolentibus nobis, ita illud ferre, ut auctorem nostrum Budensi stereotyp-

po primum omnium prodire grati ferimus. Sin posterius tuebuntur, tanto nos sciant paratiores, ut in eorum sententiam pedibus eamus, quanto ex fonte aquam haurire quisque, quam ex rivo mavult. Centerum ambas lectiones conciliari posse videamus. Infestas Thracum copias excedere Pannonia non potuisse, nisi pace composita, extra dubium est positum. De pace quidem Germanorum cum Turcis inita legere licet in Adparatu ad Historiam Hungariæ sive Collectione Miscella Monumentorum Mathiæ Bel Posonii Anno 1735 edita, in monumento VIII. inquam, Decadis I. id est: Georgii Zawodskii Diario Rerum Hungaricarum memorabilium ad Annum MDCVI hæc verba: „ Die 2 Septembbris profecta est Sua Magnifica centia Comes Georgius Thurzo Viennam, ubi præter alia publica negotia induciarum et pacis cum Turca transactionem, cum ceteris nonnullis ad id delegatis Dominis Commissariis Comaromii congregatis assumxit, eamque divina aspirante gratia feliciter perfecit: ” Ea acta sunt Imperatore Germanorum Rudolpho II. et Magno Sultano Achmete I. Ejus pacis articulus tertius, ad rem nostram potissimum pertinens, his verbis conceptus erat: „ Uterque Imperator cavebit, ne quid hostile fiat a suis, ubicumque demum fuerint, sive in Hungaria sive alibi. Porro in eodem Diario paulo post, scilicet ad annum MDCVIII. hæc habes: ” Die 24 Martii Turcæ pro nova pacis tractatione cum CLXV equitibus Ujvarinum ingressi sunt, cum quibus pro Legatis a Basso (Basza) Bu-

,, densi missi fuere Amhat Tihaja, Mustapha Effendi,
,, et Hussam Begus Simontconyensis. Sequentibus
,, diebus usque ad XXVII cum iisdem Turcis tracta-
,, tum ac disceptatum; tandem Deo auxiliante, tam
,, de semel conclusæ pacis confirmatione, quam orato-
,, rum Constantinopolin dimissione,.... conclusum ac
,, determinatum est." De egressu copiarum Turcicarum
nihil in loco utroque. Illud forsitan malis, Sarbievum
gaudio abreptum, cum paulo post eam pacem, Poloni
Othomanum, anno videlicet 1621, die 10 8bris ad Choc-
cimum fudissent, qui eis ultiro honorificentissimam pa-
cem concessisset, existimasse, aut in votis certe ha-
buisse, ita Turcas ex omni Hungaria, ut a finibns
Poloniae, abscessisse. Denique etiam illud constat,
ultra tempora, quibus haec ode certo scripta erat,
Turcas in Pannonia fuisse. Igitur si τὸ infestas sequi
libet, valeat haec sententia: infestas copias Thracum
esse desiisse, postquam pax inter utramque gentem,
Pannones scilicet et Turcas constiterit. Nos ab Hun-
garis stamus, et eorum argumentum defendimus. Sar-
bievius enim, ut Virgilius olim cum Consulatu Pollio-
ni, ita cum Pontificatu Urbani VIII. aureum seulum
rediturum fingit, et vaticinatur. Ceterum scripta est
Romæ sub finem anni ejusdem, quo Urbanus VIII.
summus Pontifex creatus est 6 Augusti 1823, inau-
guratus vero Mense Octobri, cuius mentio fit in Ode
ipsa.

ODE.

Jam minae saevi cecidere belli,
 Jam profanatis male pulsa terris
 Et Salus et Pax niveis revisit
 Oppida bigis.

Ad vers. 1. *Minae cecidere*, sc. desiere usitata ut Horat IV. Lib. Od. 2. 15 *Cecidit flamma Chimaerae*.

ad vers. 2. Profanus in genere omne id, quod est pro i. e; ante fanum: Hinc: *profani boves ante fanum constituti*, et secures Pontificum præstolantes. Profanus aequo ille, cui sacris non initiato, in fanum ingredi non licebat. *Profanatum denique* quod ex sacro usu, humanis usibus promiscuum factum, pollutum et contaminatum, extra fanum projiciebatur. Dicuntur *terrae vitiis profanatae* sicut Stat. Lib. III. Sylv. 3 v. 2 *Profanatas inspectare terras*. Est autem Ablativus ortus a verbo composito *expulsa*. Solent enim Poëtæ præpositiones in compositis per Aphæresim sæpe omittere: ut passim Horat. *linquere*, *temnere*, *mittere* pro *omittere*. Adverbium *male* adjektivo vel participio junctum significat idem ac *per nefas* vel *perperam*: sive itaque ad *profanatas* sive ad *pulsa* trahas, recte utrumque. Ita sæpius Horat: *male laxus*, *male pertinax*, *male viva* Ovid. ita sæpius noster *male barbaras*, *male natus* cum Varrone, *laeti male*. Denique, si libet, Hypallagen subesse dicere possis, pro τῷ *profanata Salus* solennem Poëtis figuram.

ad vers. 3. et 4. *Salus et Pax Deæ finguntur*, quas bigis vehi Poëtæ nostro placet, ut Deos quadrigis. Centerum *revisit* cave credas perfectum esse; est enim frequentativi *visito*, et contracti *viso is*, præsens, quod arguit τῷ *praetervolat* strophæ proximæ. Ita etiam Lucret. Lib. III. v. 1050 aut etiam properans urbem petit, atque *revisit*.

Jam Fides et Fas et amoena praeter 5

Faustitas laeto volat arva curru:

Jam fluunt passim pretiosa largis

Secula rivis.

Candidi soles veterisque venae

Fontibus nati revocantur anni; 10

ad vers. 5. *Fides et Fas*, et *Faustitas* Deæ per προσωποποιίαν: *praeter* a verbo *volat* abstractum per Tmesin; et potest etiam referri ad τὸ *fluunt*.

ad vers. 6. *Faustitas amœna*, i. e. *amari digna*. *Fest.* quæ *alma* dicitur in Ode Hor. XV. Lib. Od. 4. quam hic Sarhievius aliquantis per imitatur. *Laetus* adjективum divinitatibus appositum significat *propitium*: velut apud Plautum Amphitri in prolog. *Ut vos in rostris volatis mercimonii emundis vendundisque me laetum lucris afficerem.* *Arva* accusativus a verbo composito, eodemque neutro: omnia enim tam activa quam neutra composita cum τὸ *praeter*, accusativum perpetuum sectantur. *Vide Calep.*

ad vers. 7 et 8. *Pretiosa secula* fluunt: q. d. *jam aetas aurea* volvit, pro more vatum, qui rem futuram a se praedictam præsentem sistere nituntur.

ad vers. 9. *Candidi soles* id ipsum Horat in Ode sæpius monstrata: et *soles melius nitent*. Ceterum *candidi soles* significant felices dies, ut in Tibul Lib. IV. El. 6. v. 30. *Sis felix, et sint candida fata tua.* *Candida* item *luna* Virg. Aen. VII. v. 8. et *Nox candida* Prop. Lib. 11. El. 6. v. 30.

ad vers. 10. *Veteris*, quæ Saturno regnante scaturiebat, *venae*, dicitur *vena* de fossilibus, quæ ita continuo meatu flexoque viscera terræ rimantur, ut *venae* sanguinis corpus humanum. (ex) *fontibus nati anni revocantur*, i. e. ex *fontibus* *veteris auri*: conser Ovid Met.

Grandinat gemmis riguoque coelum
Depluit auro.

Meque veraci cecinisse plectro
Inter Octobres, Tua festa, pompas

1. 128. *venae pejoris*, ipsum autem revocantur γραμματικῶς pro *revocant se*, translate pro *redeunt*, quasi annus alter alterum evocaret.

ad vers. 11. *grandinat gemmis*, cum ablativo dicitur etiam historicis passim. Liv. non semel: *pluit lapidibus, sulphure, sanguine*; quin etiam dicitur: *lapides pluere*, et quod fortassis animum percutiet magis *Saxa pluunt* Stat. Lib. VIII. Theb. et idem Lib. 1. sylv. ult. *Jam bellaria adorea pluebant*, significatione neutra. — *riguo auro*, id est: in guttas soluto, pro *irriguo* hoc enim significat aurum guttis liquidis deciduum.

ad vers. 12. *Cælum* in nominativo penitus verbo *depluit* activam significationem addit. Quod Silius Ital. Lib. XII ver. 35 *Sed subitae muris flamae totoque pluebant Aggeris anfractu tela improvisa per auras*; ubi quanqvis edit. nonnullæ substituunt *fluebant* pro *pluebant*, rectius tamen *pluebant* convenit, quod sæpe apud Poëtas *imber telorum, nimbus item telorum*, et passim *nubes et nubila telorum* legere contingit.

ad vers. 13. *plectrum*, instrumentum, quod etiam Poëtis frequenter appellatur *pecten*, quo fides Lyræ percutiebantur: *veraci* per Hypallagen pro *me veracem*. Confer Hor. Carm. Secul. vers. 25. — Non placet in Calissensi editione substitutum *versu* pro *plectro*, quod hoc poeticum magis, quam illud.

ad vers. 14. *Inter Octobres pompas* (quæ) *Tua festa* (fuerunt), apposito ad τὸ *Octobres pompas* quibus Urbanus inauguratus est, seu, ut ajunt, coronatus;

Prisca Saturni rediisse secla,
Approbat orbis.

15

Aurei Patrum niveique mores
Exsul et serà procul usque Thule
Candor, et pulchro remeare virtus

Audet Olympo.

20

quæ inauguratione quamvis una die absolvitur, festa tamen laetitia per aliquot dies extenditur.

ad vers. 16. *Orbis approbat*, me cecinisse vere inter tuas festas dies, cum ducerere ad templum Sancti Petri ex templo S. Joannis in Laterano, solenni processione, ut ecclesiasticos dicimus, ad Tuam cathedram. *Inter*, recte poni, pro barbaro tempore, (*w czasie*) comprobat exemplum orationis solutæ: Hoc inter cœnam Tironi dictavi. Cic. ad Q. Fr. *Secla* per syncopen contratum. Ceterum videtur Sarbievius aliam scripsisse Oden inter ipsam inaugurationem, quæ fortassis *Vaticinii* inscripta titulo, Odis non videbatur annumeranda.

ad vers. 17 et seqq. *Audent*, id est: jam non timent redditui suo *Candor* et *Virtus* divinitates fictæ, cum aureis et niveis *Patrum* moribus ex (summo) quidem *Olympo Virtus*, et ex ultima Thule exul *Candor*, quo erat ex terris profanatis male pulsus. Aurei etiam per synonymiam *nivei* dicuntur i. e. *innocentes* mores Majorum, sicut *niveam pietatem* appellat Prud. in 4. *Candor* animi sinceritas et simplicitas est. *Serà Thule remeare* pro ex sera etc. *serà vero* per Hypallagen pro τὸ σερὸ: *procul usque* longe admodum dissita. Thulen etenim Geographi appellant insulam ultra Scotiam sitam, quæ tamen cum nostra Islandia non convenit. Imprecari enim: *ad Garamantas et Indos et ad ultimam Thulen solemus*, quod ex more dicitur: *abi in malam crucem*; vel: *eo te amolire, unde nefastum pedem*

Lactis et fusi per aprica mellis
Garruli campos secuere rivi,
Et superfuso tumuere plenae
Nectare ripae

**Laetior vulgo seges inquietis
Fluctuat culmis, titubantque frugum**

25

*attulisti! — Ovid Metam. I. ver. 90. Sponte sua, sine
lege, Fidem, rectumque colebant. — Et Horat. Ode
sæpius dicta: amovitque culpas, Et veteres revocavit
artes. Ceterum conser Horat. Carm. Secul. ver. 57. et
seqq. et neglecta redire virtus audet. — Pulchro
Olymbo, per Hypallagen pulchra virtus; — Audet
autem, quod vel impedimenta nulla obstant redditui, tum
vero et verecundiam habet τὸ audet, quæ propria mu-
lieribus est. Virtus enim forma muliebri pingitur.*

ad vers. 21 et seqq. Reduc verba ad ordinem:
Et garruli rivi lactis, et fusi mellis secuere (præteritum in præsenti frequentissimum Poetis, pro secant)
campos per aprica (loca) et plena*e ripae tumuere* (pro tument) super*fuso γεαμματικῶς* pro super*sundente se nectare*. Verba activa eum pronomine reciproco se mutantur in vocem passivam, quæ cum non habeat participium præsentis, utitur participio perfecti. Quod item ita Ovidius: *Flumina jam lactis jam flumina nectaris ibant, Flavaque de viridi stillabant ilice mella.*
Metam I. vers. 111. et 112. Et Horat. Epod XVI. v. 47. *Mella curva manant ex ilice.*

ad vers. 23. Paulo aliter Horatius ita I. Od. 2. v.
11. et superjecto pavidae natarunt aequore damae.

ad vers. 25. *Laetior seges ita Virg: Quid faciat
laetas segetes &c. laetas pro uberes, buynieysze zasie-
uy. Vulgo (cummuniter); inquietis i. e. undulantibus
culmis*

**Uberes campi, nec avara sulcis
Invidet aestas.**

**Pastor errantes comitatus hoedos
Provocat raucas calamo cicadas :**
Mugiunt colles, et anhela fessis
Silva juvencis.

**Pace subsultant juga, pace rident
Tetricae rupes: leve seperatos**

culmis, imitantibus fluctus aquæ, quod ipsum *titubant campi*, repetit, i. e. vacillant, instabiles sunt, aura montante aristas gravidas (*kotyszą się*).

ad vers. 27. *Uberos frugum græco more, pro ablat. frugibus. Cic. in Pis. c. 14. Uberrima triumphis provincia.* Porro *avara* (urendi, v. siccandi omnia) *aestas non invidet sulcis*, id est: æstu suo non nocet segeti: ut Plin. in Paneg. *Avaraæ adulatioñes.*

ad vers. 29. *Comitatus pro comitans, quod participium præsentis verborum deponentium fugiunt non Poëtæ solum, sed etiam solutæ orationis scriptores, maxime vero nominativum: unde etiam malunt dicere: gratulabundus, moribundus, oriundus: sed fere frequenter usus est participii perfecti pro præsenti.*

ad vers. 30. et seqq. *Provocat cicadas ad concentum, atque interea colles et fessæ (per Hypallagen) silvæ (quasi onere ferendæ multitudinis desatigatae) anhelis juvencis remugiunt, tum enim cum mugiunt anhelum i. e. gravem spiritum reciprocant: mugiunt pro remugiunt per Aphæresin: remugit cælum.* Virgil.

ad vers. 33. et seqq. *Pace subsultant, dictum ut apud auctores optimæ notæ: exsilire gaudio, i. e. præ gaudio, et apud Quint. Sermo subsultat imparibus spatiis ac sonis: idem de rideo Hor. IV Lib. Od 14.*

Otium colles amat et sequestri
Gaudia pagi.

Te Ceres flavis redimita culmis
Magne pacati Moderator orbis
Te suis Aestas opulenta circum=

fundit aristis.

Supplici myrtus Tibi servit umbra
Serviunt lauri: Tibi celsa longe

35

40

Domus argento ridet. Sarbievius itaque concisa phrasiait: Subsultare juga (habitatores seu pastores jugorum) prae gaudio pacis, et rupes Tetricae (est enim nomen proprium Tetrica, vel Tertica rupes, vel Tetricus Mons, Monte S. Giovanni, mons Sabinorum asperimus in Piceno; dicitur tamen et de aliis rupibus tristibus sicut hic.) rident pace:— et otium leve separatos colles amat,— velut Horat III Lib. Od. I v. 21 Somnus agrestium lenis virorum non humiles domos fastidit, umbrosamque ripam &c quasi diceret: etiam separatos colles et gaudia pagi sequestri (quasi sequestro futura, pagi occupati a se) etiam amat, sicut semper ita imprimis otium praesens, quod omnem Orbem terrarum beatum reddit. Vel si mavis sequestri pagi, sume pro remoti sicut Macrobius a Calepino citatus.

ad vers. 37. et seqq. Atque ut Horatius Od. XIV Lib. IV ultimis tribus strophis alloquitur Augustum, ita ex hoc loco ad calcem odæ appellat Urbanum Sarbievius. Prima harum: cum Moderatorem orbis pacati ait a Cerere spicis coronata, et ab altera Dea, Aestate scilicet opibus earundem Dearum cymulatum iri, quod earum artes sint eo Pontifice inter pacem resuscitandæ.

ad vers. 41. ad 44. singit ab arboribus ipsis cultum Urbano præstari, eo quod et ipsæ gaudii mniuersi

35 **Quercus assurgit, tremuloque pinus
Vertice nutat.**

40 **Siderum Praeses Dominusque terrae
Lucida Romam speculatus arce
Regna tranquillet, cupidoque patrem
Te velit orbi.**

**Laurus annosum Tibi signet aevum:
Fata Te norint, properentque Parcae**

45

50

participes esse conentur. Myrto enim et lauro canit poeta umbram Urbano offerri: celsam querum Urbano trans-eunti assurgere et a pinu, supremo vertice nutante, eum salutari. Assurgere arbores perinde dicuntur: ut mons; Col. 2 *Collem assurgentem*: hic ut dignioribus assurgitur.

ad vers. 45 ad 48. Deum optimum Maximum pre-catur Poëta, ut e cœlo Romam intueatur, ut regna tran-quillet, et Urbanum quam diutissime volenti orbi terra-rum sospitet; quasi diceret cum Horat. I Lib. Od. 2 v. 50. Hic *ames dici Pater* (Auguste).

ad vers. 49. *quam diutissime* commentario adpo-sita, ut semper virentibus foliis *annosa Laurus*.

ad vers. 50. *noscant Te Urbane fata*: et *Clotho* quam primum i. e. propere longum vitæ Tuæ filum neto; *Lachesis* in destinatos annos eum filum, quem *Poëta stamen* vocat, in urna abdito, et *Atropos* eum nesciat scindere. Properare *προνεύξειν* propria vi significat ali-iquid: *prius parare*, deinde cum studio aliquo intento illud perficere: — Huc pertinet illud Sallustii: „Nam et priusquam incipias consulto et ubi consulueris mature facto opus est. Ita noster Lib. III od 18 *facundisque Musae carmina deproperate remis*; et III od 24 *indi-gno pecuniam heredi properat*. Fati autem notionem hanc ajunt: Jovem voluntatem suam fatum (*fari*) esse Par-

Nescium carpi Tibi destinatos
Stamen in annos.

Quaeque formosos, sedet inter ignes
Sedulam pro Te miserata Roman

eis, quæ illam æneis inscripsissent tabellis, et quod ita Parcæ fatæ essent, id crederetur evenire mortalibus. Vide Calep. in voce *Fatum*.

ad vers. 51. *Nescium carpi* ut semel dicamus, asserimus: adjectiva a verbis nata regere vel genitivum vel infinitivum ejus loco, qui pro activa vel passiva adjectivi significatione itidem activus sit vel passivus: Ita hoc loco passivum est, cum apud Horat. I od 6 v. 6 *cedere nescii*, activum sit. Et cum Genitivo: *Virtus repulsæ nescia sordidae* Hor. III od 2 v. 17: et Sarb. III od 18 *parci nescia litoris*. Et Konarski od I: *ignarus fraudis tectae et insipiens nocendi*. Eiusmodi in genitivis et infinitivis exultat imprimis Poësis Sarbieviana. Huc te lector sexcenties ablegabimus. *Staminis* significationem lege in Calepino. Nisi omnes editiones constarent sibi, vix non adducerer, ut strophæ XII cum XI commutarem, et alteram alterius in locum subire cogerem. *Laurus* enim hac ratione rectius cohæreret cum Strophe X in qua ejus mentio fit: et Oratio ad Beatissimam Matrem Mariam aptiore loco exciperet orationem ad Præsidem Siderum, Dominumque terræ, quo nomine Christus Dominus intelligitur, qui de se ipso in Euang. Matthæi ultimo epusdem capite: „Data est mihi, ait, omnis potestas in Cœlo. et in Terra.

ad vers. 52. Et ea *Virgo* (Beatissima Maria) quæ sedet inter stellas (circumdata stellis) alludit ad illud Horat in Carm. Secul. *Siderum Regina, miserata Roman sedulam* (sollicitam) de Te (Urbane) circum quam astra glomerantur, albis choreis, Hy-

Virgo, quam circum glomerantur albis 55
Astra choreis,

Curet effusas Latii querelas:
Virginum certas juvenumque voces
Curet, et votis procerum reclinem ac-
commodet aurem.

pallage pro astra alba choreis (tripudiis), quasi astra
choreas festas ducerent, præsente Θεοτόκου . Mart. Epig.
Lib. X. 24. *Lux formosior omnibus Calendis*, i. e.
dies. Ceterum solet pingi Beatissima Virgo quindecim cir-
cumdata stellis, qui numerus exæquat quindecim Mysteria
Salutis nostræ in Rosario recitari solita: quique etiam
mythicus est in libro Apocalypses.

ad vers 57. *Curet*, vide Hor. Carm. Sec. v. 71 et
seqq. *effusas* (largas) *Italiae preces*, *curet* (adten-
dat animum) *ad voces Virginum et puerorum* in choros
duos distinctorum, atque laudes Reginæ Cœli decantan-
tium, (ut esse summo Pontifici propitia velit) *reclinem*
(acclinem ut Horat. II Od. 3 v. 7 sive te in remoto gra-
mine... reclinatum bearis... Falerno) *Procerum* i. e.
Principum populi aurem adcommodet, quod Horat. l. c.
applicet i. e. exaudiat.

Siste etiamnum Lector. Tu ne credideris futurum,
ut ceterarum Odarum Commentarius in candem molem
sit augendus. In prioribus enim diutius immorandum
duximus, ut clavi ad explicandum Poëtam nostrum quo-
dammodo reperta, tanto deinde pauciores esse possimus,
quanto longiores ab initio fuerimus, et eo breviores, quo
a longis animadversionibus primariis amplius sumus reces-
suri. A Lexicographorum more alienissimos existima-
qui cum in prioribus literis omnem sudorem effuderint,
languescunt in mediis, atque in ultimis denique penitus
exolescunt.

Neque tamen jam rem omnem absolvit. Ipse tu ex hoc commentariolo nostro facies conjecturam: quantopere Sarbievius exemplaria latina diurna perinde ac nocturna manu versaverit, qui ubique Latinitatem secutus sit eam, quæ eum Classicorum numero adsociaverit. Videbis paulo post, quanto alarum nisu æmulum suum Horatium laboret exæquare; videbis ubi fretus viribus suis et entheo calens in altos nubium tractus suum secum abripiat rivalem; videbis denique, ubi Horatio longe post se relicto discipulus palmam jam teneat manibus, quam magister præripere conabatur.

O D E II.

AD AURELIUM LYCUM.

A R G U M E N T U M.

Cave credideris, inscriptos Odis titulos nominum omnino utique veros esse. Pervincam argumentis, ut aliam sententiam amplectaris. Primum ejusmodi nomina ficta reperies in Horatio et aliis Classicis. Quis enim, cui acetum in pectore sit existimet: Telephum Odæ XIII Lib. I Horatii veri illius Telephi Trojanæ, ex posteris aliquem; quis imo vero sub hujus nominis velamine non putet latere alium quempiam illustrem juvenem Romanum, cuius existimationi parcendum Horatius duxerit? Quid autem dabimus Horatio ademptum Sarbievio? Qua ratione *indignas naenias* Lyco cuidam affluxerit, qui ubique stomachi Ciceroniani esse studuerit? Jam vero cur *Asterius* Sarbievii II Od. 8 convenit cum *Asterie* Horatii III Od. VII? Aut

cur plerique commentatores ab inquisitione titulorum abstinent, velut Editio Veneta Ludovici Desprez in Usum Delphini anno 1762 typis impressa? Aut unde tandem interpretum digladiationes majores quam ex his ipsis nominibus ortæ sunt? Postremo cur ego medirupi pene in nominum inscriptorum veritate indaganda, quæ vel ex amplissimo Universali Lexicō nuspiam constiterit? Igitur etiam Aurelium Lycum nihil moror, qui fuerit, cum aliunde minime nomen conferat in Ode morali vel ad sententiarum pondus, vel ad ipsius dictionis elegantiam, sed ne ad Poësis quidem ipsius palatum, et perspicuitatem.

Ne plus aequo de adversa fortuna queratur.

Indignas Lyce naenias

Et moestum gemitu pectus, et hispidis

Ad vers. 1 et seqq. Sententia periodi primæ hæc est: *Lyce expedi gemitu naenias (tuas) indignas (viro), expedi (etiam gemitu) pectus, (denique) frontem expedi nubibus hispidis tum, cum Sol non solito lumine (ar) riserit i. e. non obsecundarit (Tibi) et cum volubilis fortuna (ob) jecerit (Tibi) difficilem Fati aleam.*— Initium hujus Odæ convenit cum argumento Horatiano II Od. 9 quam cum hic in laudibus Augusti absolvit, ille in Metaphora ad calcem usque perseverat ποιητικωτατῶς. Confer Hor. II Od. 20 v. 21 et seqq.

Naeniae sunt fere cantus lugubres in laudem defunctorum vita, cantari vel a præficiis vel etiam a consanguineis soliti. *Fest. expedire* est *exsolvere* q. d. *deme gemitum luctui et pectori*, si quando contigerit, ut familiarium aliquis moriatur vel alia res adversa.

Frontem nubibus expedi,
 Cum Sol non solito lumine riserit,
 Et Fortuna volubilis
 Fati difficilem jecerit aleam;
 Quod vexant hodie Noti
 Cras lambent hilares aequor Etesiae
 Moestum Sol hodie Caput
 Cras lactum roseo promet ab aequore.

ad vers. 2 et 3. confer locum parallelum Horatii in
 Ode dicta ver. 1 et 2. Animadverte Hypallagen pro *hispidam frontem*, quod est Virgil X Aen. 210: Horat. IV
 Od. 10 faciem *hispidam* dicit pro *hirta* vel *horrida*.
Nubes frontis etiam sic in Pison. cap. 9. *Frontis Tuae*
nubeculam minime pertimesco. Corrugata enim frons
 nescio quid tristitiae et importunæ severitatis præsefert. *Ri-*
serit et jecerit Aphæres sunt.

ad vers. 5 et 6. Alea fati id est: periculum et ca-
 sus incertus, velut Lucanus VI 7. *Placet alea fati,*
alterutrum mersura caput. jacere vero communiter jun-
*gitur substantivo *alea*, velut in illo Cæsaris ad Rubico-
 nem: *alea jacta est: i. e. fortunæ arbitrium sequamur.**

ad vers. 7. Redibit enim aliquando secunda for-
 tunæ: *Quod aequor* (planities etiam terræ, sed aquæ
 frequentius) *hodie vexant* (frequentativum a *veho*, tumul-
 tuose agitant) *Noti* (procellarum et imbrium feraces) id
 ipsum *aequor cras lambent* (Hor. I 22 v. 6) *Etesiae*
 (caniculari sidere flantes) *hilares* (activa significatione
 q. d. exhilarantes). Etesiæ a Græco ἔτος annus, quod
 semel in anno moveri dicuntur, qui venti etiam vocantur
Subsolanus ventus. Etesiæ generis masculini est.

ad vers. 9. 10. Sol promit (depromit Aphæresis)
Caput; ita Horat. *curru nitido diem qui promis.* Carm.
 secul.

Alterno redeunt choro
 Risis et Gemitus, et madidis prope
 Sicci cum Lacrymis Joci.
 Nascuntur mediis Gandia Luctibus.
 Sic fatis placitum: suis
 Tempestiva fluunt fata periculis.

15

secul. roseo pertinet ad Homericum φοδοδάκτυλος. Huc etiam refertur III Od. 29 vers. 43 et seqq.

ad vers. 11. et seqq. alterno choro (primo choro veniunt *risus* altero *gemitus*) redeunt (choro tertio et quarto iterum) *risus* et *gemitus* et sic etiam *madidae lacrymae* cum *siccis jocis*: prope non *propemodum* sed indicat propinquitatem loci (tuž, w te tropy):

ad vers. 14. Quinimo inter luctus ipsos gaudia nascuntur pro *innascuntur*, ut *mediis luctibus* dativus sit. Aphæresis.

ad vers. 15. *Sic fatis placitum*: ita Horat. II Od. 17 v. 15 et 16. *Sic potenti Justitiae, placitumque Parcis*. Ita autem placitum dicitur, ut: Placuit Senatui: i. e. decrevit Senatus: q. d. decreverunt fata.

ad vers. 16. *Fluunt fata tempestiva suis periculis*: i. e. labuntur vel progrediuntur fata (certo itinere) ut tempestiva adsint ad ea depellenda pericula, quibus abigendis destinata sunt; ubi *suis periculis tempestiva* dativus erit destinationis: *tempestivus* autem significabit *oportunitatem temporis*: poniturque vel cum præpositione *ad* vel cum dativo. Interpres Wratislaviensis aliter invertit sententiam et ait: Also wills das Geschick: und es stürzt nur allzugeschwind selbst in Gefahren sich. q. d. Fata adfluunt suis periculis, seu: ad sua pericula, i. e. ad pereundum, ut pereant jam ipsa *tempestiva* i. e. suo tempore vel citato tempore.



Fessos duxit heri boves,
 Dat magnis hodie jura Qniritibus;
 Et, quae bobus ademerat,
 Imponit Gabiis et Curibus juga. 20
 Idem Phosphorus adspicit
 Magnum, quem tenuem viderat Hesperus.
 Quodsi seria ludicris
 Fortunæ placeat texere, rusticus
 Hesternam repetet casam 25
 Ridentis populi non humilis jocus;

ad vers. 17. Inducitur exemplum L. Quintii Cincinnati, ab aratro ad Dictaturam vocati, fictionibus longe pulcherrimis abundans. Gabii et Cures gentes Sabinæ ex Historia notæ: vide Liv. Lib. III cap. 26. 27. 28. 29.

ad vers. 21. et seq. *Idem Phosphorus* (stella Veneris eadem mane Phosphorus, vesperi Hesperus dicitur *aspicit magnum* (Dictatorem; Dictatores enim post di-midium noctis dicebantur) *quem tenuem* (pauperem) *viderat Hesperus*; ut idem Horat: *nos tenues non conan-nur grandia* I. Od. 6. ver. 9.

ad vers. 23. et seqq. *texere pro inter vel adtexere* per Aphæresim, Metaphorâ a textoribus tellae vel panni ductâ, miscere i. e. mutare: Rusticus iterum ex Dictatore re factus Cincinnatus, *factus item jocus ridentis popu-li*. Cetera omnia dictu majora, et Horatiana fictione superiora; atque intellectu facillima.

Nota. Malim ubique non læsis prosodiæ legibus, et cum conciliatione grammaticæ Constructionis mutare in versibus 25 27 28 30 indicativum in conjunctivum, ut sibi constet, cum conjunctivo *placeat* in versu 24. Id enim perpetuo observat Horatius v. c. in Ode II Epod. *Quod si pudica mulier,..... exstruat.... siccerint.... apponat.... Juvet... non afra avis descendat... vertat...*

Et, queis rexerat omnia,
Findet laurigeris ligna securibus
Quod si defuerit salix,
Fasces pauperibus subjicit fociſ. 30

ODE III.

AD URBANUM VIII.

ARGUMENTUM.

Hac Ode Sarbievius imitatur quadantenus Horatii
Oden 20 Lib. II: velis tamen fertur longe pleniori-
bus in laudando Urbano, ejusque imprimis Poësi.

Urbane Regum maxime, maxime
Urbane vatum, Pegaseus Tibi
Temo, volaturusque late
Regna super populosque currus
Jam dudum apud me est. Eripe Te solo 5
Obliviosis eripe nubibus

Ad vers. 1. et seqq. Sententia est: Urbane, jam
pridem currus Pegaseus est Tibi comparatus apud me,
ad Te extra orhem terrarum cœlo laudibus evehendum
atque huic ego currui ipse auriga præero, Teque omni,
orbi terrarum Poëtam Musis adstipulantibus, promulgabo.

ad vers. 3. *Temo* Synecdoche pars pro toto: ita
etiam Juvenal Sat. 4 v. 126 *Regem aliquem capies, aut*
de temone Britanno etc. *Jam dudum est apud me*, i. e.
paratus Tibi et præsto. Confer Horat. III Ode 29 stro-
phen primam.

ad vers. 5. *Eripe Te oblivious nubibus*, terris
scilicet, quibus proximæ nubes impendent: q. d. permitte,

Nomenque laudesque. O Deorum
Concilio, patrioque quondam
Promisse coelo! Te super inclyta
Terrarum et altas Acroceræunia 10
Egressa nubes, Te superni
Colla super humerosque Pindi
Attollere alte, non sine numine,
Luctabor. Ibis sub pedibus pigras
Urbes relicturusque gentes, 15
Attonitæ novus hospes aurae,

ut ego Te pegaseo illo curru eripiam terris, quæ solent
oblivisci nimium cito bene de se meritorum, et ut Te
in cœlum laudibus feram, ubi diuturnior bene factorum
memoria perennat.

ad vers. 7. et seqq. *O Tu, qui olim promissus
es coelo* i. e. destinatus in cœlum. Imitatur Virg. Georg.
1. v. 24. et Lucan 1. a vers. 45. et seqq. Patrio cœlo,
quod est communis omnium Patris sedes, et nostra atque
adeo etiam Tua patria, Virg. Eccl. 5 quam vide.

ad vers. 9. *Super inclyta terrarum subaudi loca,
et super Acroceræunia* (altissimi sunt montes Epiri ad
mare Jonium (quæ altas nubes egrediuntur, *egressa pro
egredientia* vide Oden 1. hujus libri ad vers. 29)
et super colla Pindi (juga Pindi (montis inter Epirum
et Thessaliam, Musis sacri *luctabor* (auriga) *attollere*.

ad vers. 11. *non sine Numine* i. e. annuentibus
Cœlicolis. Hor. III Od. 4 vers. 20.

ad vers. 16. *attonitæ novus hospes aurae*. Attonitæ aurae significat auras percussum iri eo adventante.
Dicitur proprie *attonitus fulmine*, *attonitus per admirationem translate*. Conf. Virg. Eccl. v. versu 56. *auraæ pro asthore* Virg. I Æn. 59.

- Hac unde vasti litora Nerei,
Amnesque, camposque, et juga desuper
Arcesque mirari, et natantes
Oceano numerare terras 20
- Coram licebit. Jam Tibi barbarus
Circum supinis collibus annuit
Haemus, salutataque longè
Atremit Acrocorinthus aulā.
-

ad vers. 17. hac: i. e. illa parte ibis, vectus curru pegaseo, et a me currum dirigente adjutus, unde Tibi licebit coram (præsenti *naocznie*) mirari vasti Nerei (Oceani) et natantes Oceano terras (tum continentes tum insulas, quæ videbuntur desuper innatare mari).

ad vers. 21. pro τοῦ licebit tibi numerare, quod jam dixerat, aliter atque aliter rem ποιητικῶς narrat. Jam Tibi annuit Haemus, jam atremit Acrocorynthus, jam subsedit Othrys: Ossa et Rhodope jam submittunt Tibi laurus suas, Pindus item et Cynthus et Cyrrha: jam gaudent tetendisse (pro tendere) frondes Cythæron et Pangæa: quæ Phrases una opera indicant reverentiam, quam dicti montes cum accolis suis per prosopopoëiam Urbani sunt exhibituri, ut supremo Religionis καθολικῆς arbitrio, et ut poëtae.

ad vers. 23. Barbarus Haemus, quia situs in Thracia prope fines Bulgariae. Thracia erat extra Graeciam, unde epithetum *barbarus* conveniens est, annuit supinis circum collibus Dativus est, annuit autem *Tibi* pro Tu parte, ut et ipsi te suspiciant. Supini colles et pronus Othrys. Reverentia proprie adjectivo *pronus* describitur, quod magnis et altis montibus proprium: collum vice versa reverentia præstatur adjectivo *supinus*, quasi colles latera sua quam maxime resupinent, seu deprimant profunde, appropinquante curru Urbani: ipse ita-

- Ter pronus Othrys, ter trepidae latus 25
 Subsedit Ossae, ter Rhodope nives,
 Sacrasque submisere lauros
 Emathii capita alta Pindi ,
 Sacerque Phoebo Cynthus , et aviae
 Acuta Cyrrhae. Laurigeris Tibi 30
 Thyrsis coronatus Cythaeron ,
 Et patula nemorosa pinu

que Hæmus pronus annuere seu capite i. e. vertice nutare fingitur, sicut Acro.— Corinthus, id est: arx Corinthi, attremere tremere verecundia est et reverentiae quo attremit: aula sua i. e. regia habitatione. *Salutare* vero ait Poëta Urbanum, quasi dicentem: Hæccine est illa Acrocorinthus, tantopere a Scriptoribus laudata? ut illud Virgil. III Æne. v. 524. *Italiam laeto socii clamore salutant;* et quod proxime accedit: *Cadmus agit gratias peregrinaeque oscula terrae figit et ignotos montes agrosque salutat* Ovid. III Metam. v. 24 et 25.

ad vers. 25. Othrys (Mons Thraciæ) et Emathii (Thessalia Emathia ab rege Emathio). Pindi capita alta submisere suas laurus sacras: capita hæc Parnassus et Helicon sunt quæ e medio Pindo, ab Epiro ad Thessaliam usque pertinente attolluntur. Dicuntur vero Laurus demittere, ne altitudine sua currum supra volantem ramis impedian. Ossa et Rhodope aliunde noti.

ad vers. 29. Cynthus (mons insulæ Deli) ubi natus et altus dicitur Apollo cum Diana sorore.

ad vers. 30. Cyrrhæ acuta: Acron ad Horatium II Lib. Od. 1 docet esse nomen alterius ex jugis Parnassi montis, quod Apollini sacrum, cum alterum Nyssa Baccho sit dedicatum: hinc *acuta Cyrrhae* pro *acuta Cyrha*: *aviae*, i. e. aditu difficilis ut Virg. I Æn. ver. 422 *strata viarum* pro *stræcas*, *vias*.

ad vers. 31. Cythæron mons Bæotiae prope Thebas

25 Pangaea gaudent brachia frondium
 Longe tetendisse, et procul obvios
 Currus adorare et vocanti
 Ardua supposuisse terga.

35

30 Hinc ire pompas, hinc Tibi p̄aepeetes
 Centum superbis ire curulibus
 Urbane, Musas, atque aperto
 Ire sines Tua facta coelo.

40

Baccho sacer, ubi orgia Bacchi a Mænadibus thyrsigeris
 celebrabantur. *Coronatus* dicitur, quod Bacchantes so-
 litæ fuerant choreas nocturnas agere circa jugum illius.

ad 33. Pangæus vel Pangæa orum Mons Thraciæ
 Philippis urbi imminens, rosis et cinnamnis abundans,
 auro item et argento. Pangæa nemora etiam Silius Ital.
 laudat Lib. II ver. 73. Ordo grammaticus hic est: Ne-
 morosa Pangæa Tibi pinu patulâ longe gaudent tendere
 brachia suarum frondium (salutantium more). Hypalla-
 ge: pro: Pangæa nemorosâ pinu Tibi gaudent tetendisse
 longe patula brachia suarum frondium et adorare currus
 obvios procul, et volanti Tibi ardua terga supposuisse
 (supponere).

ad vers. 37. et sqq. Ab hoc versu incipit quodam-
 modo altera pars hujus Odæ, cuius hæc est sententia:
 Hactenus ego Tibi sui auriga scilicet: super maria et Græ-
 ciām. Hinc sc. abhinc v. isthinc a Græcia, cuius cele-
 briora loca descripserat, sines Tu Urbane i. e. permittes,
 ut eant Musæ, quæ jam solæ laudes Tuas reliquo Orbi
 terrarum sunt communicaturæ; donec lœtæ i. e. defunctæ
 officio jubeant aurei seculi dies, et menses, et annos fe-
 lices decurrere, quæ musarum jussa illico exceptura sint
 aurei seculi otia et commoda. — Hinc Urbane sines (Fu-
 turum pro imperativo) permitte ire pompas Musarum,
 et ipsas p̄æpetes i. e. volantes per p̄ompam centum cu-

Auditis? an me ludit amabilis
 Imago pompa? Jam videor pios
 Audire plausus, et frementes
 Caeruleum per inane turmas.

Hinc et tepenti vectus ab Africo
 Apum sonoro exercitus agmine
 Leni ter Urbanum susurro
 Ter resonis fremuere pennis.

45

rulibus superbam i. e. cum omni literarum comitatu: atque etiam Tua facta sines ire aperto cœlo: sines ut Musæ ipsæ Tua facta canant per orbem. *Pompa* ut Virg. III Geor. vers. 22.

ad vers. 41. Auditis? Ita Horat. et iisdem fere verbis III Od. 4 v. 5 q. d. O sodales! au mecum auditis Musas canentes, meisque jam votis obsecundantes?

ad vers. 43. *frementes* τὸ fremere tribuitur hominibus potissimum in plausu et festa acclamazione. Virg. V Æne. v. 555 *quos omnes euntis Trinacriae mirata fremit Trojaeque juventus*, et sæpe alibi.

ad vers. 44. *Caeruleum per inane pro: per spatia aëris*, cæruleum colorem a cœlo ducentis: *inane pro substantivo* Virg. XII Æn. 905 *Lapis vacuum per inane volutus*, et alibi passim.

ad vers. 45. et seqq. Alludit Poëta ad Arma gentilitia gentis Maffeorum Barberini Urbani, quod argenteo campo tres Apes aureas præfert, q. d. Aliunde videre mihi videor exercitum apum sonoro agmine vectum ab Africo tepenti, ut Virg. III Geor. ver. 330 (velut supra: *pompam Musarum*) a monte Atticæ Hymetto, qui abundabat thymo atque ideo apibus et melle: ter Tuum nomen leni susurro ingeminantes, et ter pennis adstrepentibus iterantes.

ad vers. 49.

- Ter vecta terris ac pelago super
Respondit Echo: ter lituis procul 50
Sparsae ter Urbanum Camoenæ
Pindaricis cecinere plectris.
Audivit ingens Pontus, et insulas
Erexit omnes: ilicet Africæ
Plausere et Europeæ, et una 55
Americæ Asiaeque regna.
Laetaeque tandem, Currite saecula
Dixere Musæ: currite candidis
-

ad versum 49: Et jam mihi videor audire supervenientem terris et mari Echo respondentem his choris, et repetentem Nomen Urbani: repetentes iterum Musas lituis (instrumentum musicum, ab imo in speciem litui auguralis reflexum) et lyris (quæ plectris ad motum et modulos incitabantur) Pindaricis (qui triumphos ludorum solennium dithyrambis prosequiebatur) per orbem terrarum sparsas, repetentes inquam Nomen Urbani.

ad vers. 53. Anne animadvertisisti Poëtam a versu 45 omnia cecinisse in tempore præterito perfecto, ut sua vota exaudita et illico ad effectum perducta probaret. In eadem itaque celeritate perstat et ait: jam auditum esse Urbani nomen et laudes omni Ponto, qui brutas et tardiores insulas et ipsas ad audiendum erigat: auditum esse denique universo orbi.

ad vers. 57. Habuit ob oculos Virg. Ecc. 4 a vers. 46 et seqq. quos vide: ita etiam Catull. in Pel. Nup. *Currite ducentes subtemina, currite fusi.* ver. 327.

ad vers. 59. Horæ in fabulis Deæ sunt Filiae Jovis et Themidis, novem alii faciunt, alii decem sorores, ut videre est apud Hygin fab. 183 ubi etiam earum nomina referuntur, Dicuntur *solis ministrae* Ovidio II Metam-

**Horae quadrigis : ite , magni
Secula deproperate Menses.**

60

**Dixere Musae : protinus aurea
Risere longum secula , secula
Auro laborata , et recuso
In pretium emicuere vultu.**

v. 118 *et custodes coeli* Ovid Fast I v. 125. Horas hic sive pro quatuor anni partibus, sive pro diei temporibus sumere velis, non peccaveris.

ad vers. 60. Et vos magni menses (allegorici Dii Virg. Ec. IV v. 12 ad quem Virg. locum ita Scaliger ὁ παννομοστός,, Nam ut antea Poëta dixit: Magnus ab integro seclorum nascitur ordo, ibi per magnum ordinem seclorum maximum annum Platonis intelligit, qui constat annis civilibus MCDXL, ita hic per magnos menses intelligendus est mensis Platonicus, qui est CXX annorum. Hæc Scaliger.

ad vers. 60. Vide notam ad versum 50 Ode I hujus libri. Hic sensu est illo, quo apud Horat. II Od. 7 v 24 *Quis udo deproperare apio coronas curative myrto?*

ad vers. 62. Risere longum: q. d. coeperunt arridere orbi et riserunt longe i. e. diu, Poëta rem jam factam fingente, quam precatur. *Longum* genus neutrum pro adverbio more græcorum: velut Ovid. Ep. 15. *Dulce Venus risit* et Catullus ad Lesb. *Dulce ridens.* et Horot. III Od. 27 v. 67 *Persidum ridens.*

ad vers. 63. Angelus Maria Durinius e Comitibus Modoetiæ Patritius Mediolanensis Archi Episcopus Ancyranus per utramque Poloniam et Mag. Lith. Ducatum cum facultatibus Legati a latere Nuntius Apostolicus, ille Simonis Simonidæ, Pindari Polonici resuscitator, et Musarum Polonicarum Aristarchus in sua Præfatione in Opera Poëtica Simonis Simonidæ Bendoński ad inclytam juventu-

tem Polonam, cum nonnulla alia, tum 62 et 63 hujus
Odae Sarbievianaे versus acri nota perstringit, et ambi-
tiosis ornamenti annumerat. Rectene an perperam, ju-
dident quibus per longius otium quam nostrum est, licet.
Mihī *longum risere* etiam primo aspectu horidulum vi-
debatur, sed cum in mentem venisset istorum Virgil X
Ænei: vers. 540 *non longum laetabere* et Ecl. 5 *et lon-
gum formose vale, vale,* inquit *Jola aliquantum*
mollius ad aures accidebat. *Auro laborata ex auro coa-
lita* per longum tempus; vel facta. Ita Virg. I Ænei. v.
643 *auro laboratae vestes* et quod nostro loco accom-
modatius est, et Poëtam nostrum eximit omni culpae:
Aere laborabunt non dum noscentia ferrum saecula.
Hesiodi Interpres.

ad vers. 63. Ego suspicor, agi isthic de moneta
aurea, quae recusa sit cum vultu Urbani, et cum paulo
ante Gregorium referret, tum frequentior esse coeperit
quam superioribus Pontificibus ut τὸ aurum in pretium
emicat idem significet, ac per manus currit, (*ω kurs
poszło złoto*) et τὸ emicat ut apud Virg. Lib. VI v. 5.

ODE IV.

AD CRISPUM LAEVINIUM.

ARGUMENTUM.

Hic valeat idem, quod ad secundam hujus libri Odem adscripsimus. Ceterum abundat pulcherrimis similiudinibus.

Ne nimium adolescentiae fidat.

Vive jucundae metuens juventae,
Crispe Laevini: fugiunt avarae
Mensium Lunae, nimiumque volvi
Lubricus aether.

Sententia totius Odæ haec est: Noli existimare, eandem Tibi valetudinem, eundem vigorem, et denique etiam fortunam eandem Tibi perpetuam fore, quae juveni feuerit: quin tu memor annorum venientium, parce aetate utere Tua, et adolescentiae Tuae cave nimium dederis.

Ad vers. 1. Vive metuens pro esto metuens: ita Hor. I Ep. I v. 66. *metuere* alicui, est *timere* nequid ei mali accidat. Plin. Lib. 18. *Tria tempora fructibus metuebant*. Ceterum isthic non dativus est, sed genitivus, juxta quod monuimus ad vers. 51. Odæ I hujus libri. q. d. metue juventutem tuam, potest enim vel in ipsa hac florente aetatula accidere, quod non speraveris: velut aliis locis Horat: III Od. 19 v. 16 *Rixarum metuens* pro: *rixas metuens* et II Od. 2 v. 110 *metuensque futuri*: et cum infinitivo Hor. II Od. 2 v. 7 *illum aget penna metuente solvi fama superstes*. et Virg. I Geor. v. 247 *Arctos Oceani metuentes aequore tinge*.
ad vers. 2 et 3. *avarae Lunae mensium*, quasi di-

Tu licet multo preciosus auro
 Gemmea vestem moderere zonā,
 Et super collo Tyrias amicet
 Fibula lanas;

Ire Phoenissis vaga penna cristis
 Stare labenti dubitat galero;
 Jure, quo fulges, timidum refigi
 Palluit aurum.

10

cat: Lunas, quae menses cupide devorent, i. e. praecipitent. Vide quae dicta sunt ad vers. 27 I Odae libri hujus.

ad vers. 4. Dictum, ut apud Horat. *lubricus aspici*
 I Od. 19 v. 8. Hic significat celeritatem, quod lubrica facilius, quam scabra moventur. Æther pro cœlo; ut supra.

ad vers. 5. *multo auro preciosus*; etsi, tibi premium conferat multum aurum, et si gemmea zona (Polarorum piscorum more) modereris vestem, et si fibula super collo amicet (amico, as, are) lanas Tyrias (purpleam vestem): tamen jure dubitat stare &c. Preciosus auro ita dictum ut apud Martial. Epig. Lib. VI 15. *Funeribus facta est nunc pretiosa suis*: Statius Theba v. 47. *Solita prece numen amicat*; *gemmea zona modereris*, nam laxis vestibus opus erat ejusmodi moderamine, ne fluenter: *gemmea* ad luxum pertinet, *amicis* i. e. quodammodo amicas reddere, seu conjungere, copulare; contrarium *inimicat* Hor. IV Od. 15 20.

ad vers. 9 et seqq. Sequitur apodosis ad praecedentem Strophen, cum occulta particula tamen *Jure dubitat stare labenti galero penna vaga cristis phœnissis* q. d. Interim Tibi omnia timorem et metum indicant: penna vaga, quae dubitat, (nempe nutat) stare galero (et ipso ad lapsum proclivi) cristis phœnissis (cri-

Quod Tibi largâ dedit Hora dextrâ

Hora furaci rapiet sinistrâ :

More fallentis tenerum jocosο 15

Matris alumnum.

Mobiles rerum dubiique casus

Regna mortalis tenuere vitae

Sedulus metae properat fugacis

Impetus aevi.

20

Tardius ponto volat Adriano

Quam ratem mersi pepulere remi

sta propria est quarundam avium sicut nostrorum Gallo-
rum gallinaceorum) puniceis; et aurum etiam, quo indu-
tus es, palluit (perfectum in praesenti) pallet, quasi
color auri pallidus metum indicaret, pallet inquam, me-
tuens ne refigatur, id est: avellatur.

ad vers. 13 et seqq. Pulchra similitudo per se pa-
tens, more fallentis Matris, quae cum filio suo ludibunda
crustulam dextra dandam, in sinistram transfert, manibus
aliquando etiam fallendi causa sublatis.

ad vers. 17 et seqq. *Mobiles rerum* i. est. casus,
qui res suo loco movent. vide v. 51 Odae I huj. Libr.
tenuere praeteritum in praesenti pro *obtinent regnum*
vitae mortalis i. e. dominantur casus dubii in vita mortali-
um: sed impetus aevi fugacis properat *metae sedulus*
i. e. intentus q. d. impetus vitae nostrae properat sine
ulla mora, i. e. festinanter, quod poëta: *sedulo*, ad suam
metam. Ita noster passim cum genitivo vel infinitivo: ut
paulo ante construxit adjективum *mobilis* cum genitivo *re-
rum*. *Sedulus* quasi, assiduus i. e. sedendo continuo
esse intentum rei.

ad versum 22. Sequitur comparatio *festinantis aevi*
q. d. Longe velocius festinat impetus aevi fugacis, quam
navis et vento secundo et remis impulsa. Ponto Adria-

15	Et repentinis animosa trudunt Carbasa ventis.	
20	Omnibus mundi Dominator Horis	25
	Aptat urgendas per inane pennas Pars adhuc nido latet, et futuros Crescit in annos.	28

no, pro quovis alio mari. Pepulere praet. in praes. pro pellunt remi mersi, et quam ratem trudunt carbasa animosa ventis repentinis. Trudere pro impellere Horat Ep. Od. 2 aut *trudit acres... multa cane apros in obstantes plagas*; carbasa pro velis, velut Martial. XII Epig. 29 *Festinant trepidi substringere carbasa nautae animosa* i. e. vento plena; *repentinis* cum repente flare incipiunt.

ad vers. 25. Mundi Dominator omnibus horis aptat pennas, velut Daedalus, per inane (vide supra ad vers. 44 Odae 3 hujus Lib.) urgendas i. e. cum labore agitandas, pars earum horarum latet adhuc nido, quam tu respice; et cui te servas.

O D E V.

ARGUMENTUM.

Ejusdem est sententiæ ac Ode hujus libri I, complectiturque Laudes Urbani VIII. Imprimis Poëta multis est in describenda ætate aurea, quam prædicebat eadem Ode I et quam affulsiſſe jam in præsentiarum dīgito quodammodo monstrat. Imitatur Oden XV Libri IV.

Laudes Urbani VIII.

Nuper receptâ bella super Tyro,
Pugnasque serum ludere distuli,
Urbane: nunc jurata lenem
Increpuit Tibi Musa buxum.

Per Te refecto adamantinum
Offulsit auro seculum, et undique

۵

Ad versum 1. seqq. *Nuper* (respicit ad proximam victoriam Polonorum ad Chocimum anno 1621). *Super* (Multa super Priamo rogitans, super Hectora multa Virg. I Æn. v. 750) *Tyro recepta*, i. e. Turcis victis, a quibus mox etiam Tyrum sumus recepturi. Poëta, quod optat, factum fingit; *pugnasque ludere serum distuli*: *nunc Musa jurata Tibi* (quae Tibi se se devovit, ν. *Musa jurata increpuit Tibi* (ut unice Tibi seu pro parte Tua occuparer) *lenem meam buxum*: *serum videbatur* non nemini majuscula scribendum, ut esset genitus substantivi Seres Serum, id est: Chinensium, seu gentium orientalium; et quamvis quantitas prosodica non repugnat, editiones tamen omnes minusculo s usae sunt; unde *serum* pro adverbio necesse est admittere. Nam cur non? Virg. XII Æn. vers. 864. *Nocte sedens serum canit importuna per umbras.* q. d. sero ν. serius lude-re (*ludere quae vellem calamo permisit agresti* Virg. Æn. I). ν. canere distuli (perfectum in praesenti differo. *lenem buxum* i. e. imbellem seu bellis canendis non aptam buxum; ex buxo proprie tibiae sacris faciendis ad-hibitae conficiebantur; ad lyram noster buxum etiam trans-ferunt: II Ode 3. *Sonora buxi filia sutilis, barbite.*

ad vers. 5. et seqq. *Per Te* (*Urbane*) *reficto ferro* (*dativus*: *refingo*: q. d. *seculo quod ad haec tempora ferreum* *suit nunc refictum*, *in nobilius aurum ossulsi*

Gazis coronatumque gemmis
Purpureo revirescit aevo.

Quo foeta quondam nectare flumina
Ultroque septem balsama collibus 10
Manare, vinoque et liquenti
Melle vagos properare rivos,

seculum adamantinum, auro (ablatus, quo ossulsi? auro). adamantinum (nulla vi refingendum δαμάσω, *adamas* quod non potest domari, seu subigi).

ad versum 7. et 8. *seculum undique coronatum Gazis et gemmis*, quae gemmae purpureum nitorem cum viridi variare solent, seu colores iridis referunt. Vide quam adcurata descriptio, quam paucis verbis concepta?

ad vers. 9. et seqq. Quo (aevo aureo) narrant (ex versu 14) *quondam* (Saturno regnante) *fœta flumina melle liquenti manare* (manasse, constructione τοῦ memini, quod omisso ἡ præsens infinitivi potius, quam perfectum requirit: *Saepe malum hoc nobis... memini praedicere quercus*. Vir. quo etiam narrant manasse *ultra* (sua sponte) *balsama* (unguenta odorata) *septem collibus* (Romæ) et quo narrant *properare* (properavisse) i. e. fluxisse rivos *vagos vino et melle liquenti*; quo item aevo narrant *lanigerum pecus* (oves) *sponte sero vespere reportare* (reportavisse) *mammas (lacte) turgidas*, et *reportavisse* (domum) *grave vellus auro assyrio comatum*.

Fœta nectare flumina ita dictum, ut apud Ciceronem de Nat. Deor. 62 *Terra fœta frugibus* et apud Virg. I Ænei. v. 55. *Loca fœta furentibus austris. balsama collibus Hypallage pro colles balsamis*, ut in eodem maneat casu, quo *flumina nectare*.

- Et sponte sero vespere turgidas
 Ad septa narrant lanigerum pecus
 Mamas reportare, et comatum 15
 Assyrio grave vellus auro.
- Te Fas Piumque et Justitiae comes
 Utcumque sacrum laetus agis pedem
 Candor coronat: Te fidelis
 Propositi studiosa Virtus. 20
- Te pone flavo larga Ceres sinu,
 Rerumque plenis non sine cornibus
 Felix Amalthee citatis
 Rura subit populosque bigis.
-

ad vers. 13. Confer Virg. Ec. IV ver. 21 *Ipsae lacte domum referent distenta Capellae Ubera et Hor. Epod. 16 vers. 49.*

ad vers. 15 et 16. Conf. Virg. eadem Eclog. ver. 42 et seqq.

ad vers. 16. Ita etiam Lucan IV ver. 298 *Assyrii Scrutator pallidus auri*, Conf. Virg. Ec. IV 42 et seqq.

ad vers. 17. *Te Fas, et Pium (Pietas) et comes Justitiae Candor et Virtus studiosa fidelis Propositi coronat* (coronant te circumdant, seu sociæ sunt.) *utcunque pro ubicunque ut Horat III Od. 4 v. 29 utcunque mecum eritis. et IV Od. 4 v. 35. Ut cunque defecere mores. Studiosa pro amans, fidelis propositi, cui proposito fides præstabitur.*

ad vers. 21. et seqq. *Pone te rura nostra et populos subit Ceres flavo sinu larga, et felix Amalthee citatis bigis cum cornu copiae. Amalthee Græca terminatione versus gratia. Ceterum Mythologiam consule, et similia ex I Ode hujus Libri repeate. Carnibus pro singulari, per Synecdochēn.*

At Vis et ater Luctus et aeneis	25
Stipata centum bella furoribus	
Curaeque pallentesque Morbi, et	
Foeda modis simulacra miris	
Cessere retro. Te Duce Faustitas	
Secura frugum rura perambulat,	30

ad vers. 25 et seqq. Vis et Luctus et curae et morbi divinitates infaustæ singuntur, *aenei furores pro tormentis bellicis* quæ nunc funduntur ex ære maximam partem. *Stipatus* proprie *obturatus*: condensatus per translationem: *frequenti comitatu circumdatus*. Propria significatione: *vel cum liquefientia mella stipant* Virg. I *Aenei*. de apibus. Hoc loco translate sumitur, ut passim etiam apud Cic. *non usitata frequentia stipati sumus* pro Milon. apud Poëtas frequentius. *Et simulacra* alia mirum in modum *foeda*, quæ simulacra i. e. portenta hominibus assimilata describuntur graphice a nescio quo, quem Anonymum citat Auctor Novi Apparatus Virgilii Colon. Agrip. 1756.

Dux præit armipotens fatali numine Mavors
Fulmineumque ferox quatiens Bellona flagellum.
Luctifica hinc atque hinc stant agmina sæva sorores. (Furiæ)
Iræque, Insidiæque, et lurida Mortis imago.
Quas inter Furor impatiens, flammantia torquet
Lumina, et horrendum fremit atrox ore cruento. Conf.
Hor. IV Od. 15 a v. 17 et seqq.

ad vers. 29. et seqq. Illic omnis bellī Comitatus recessit a nobis.

ad vers. eund. *Te Duce Urbane* ut Virg. IV Eclo. *Te Duce Pollio* ver. 13 *Faustitas* quæ propria significazione præst pecori novo fœtu supplendo. Fest. *perambulat rura secura frugum*, q. d. rura, quæ nihil suis frugibus metuunt, seu non sunt sollicitata curis de frugibus suis.

Tutaeque per Vasti tumultus
Carpathii volitant carinae.

Te feriati cum pueris senes,
Nec non reclusae cum nuribus canunt
Regem puellae: sive reddit,
Sive citum rapit hora solem. 35

At nos recurvo poplite per vias
Patrem colentes, ter niveum Tibi
Nimbum Ligustri ter rosarum
Puniceum jaciemus imbrem. 40

ad vers. 31 et 32. Mare *Carpathium* proximum insulæ Rhodo, Synecdoche pro quounque mari, *per tumultus* per tumidos fluctus; *carinae* (pars pro toto alia Synecdoche.)

ad vers. 33. *Feriati* (ferias agentes) Hor. *Feriatos male Troas* IV Od. 6 v. 14 et 15.

ad vers. 34. *reclusae puellae*, quæ olim claudendæ erant et clausæ ob juvenum petulantiam, nunc reclusæ canunt Te Regem. *cum nuribus* i. e. novis nuptis ut Ovid. II Metam vers. 376 *et nuribus mittit gestanda Latinis*. Vide Schell, Lex. in voce *nurus*. *Sive cum reddit hora cita solem, sive cum eum rapit:* oriente scilicet vel occidente Sole.

ad vers. 37. et seqq. Imitatur noster Horat in Ode IV 15. ver. 20 *Nasque &c. recurvo poplite* i. e. genu flexo, solent enim a Pontifice genuflexi petere benedictionem, ita dictam: *jaciemus imbrem* i. e. copiam alborum florum cum rosis, q. d. sternemus vias floribus Te eunte vel proficidente, *Ligustrum per Syncedochen speciei* pro gen. re. *Ligustrorum frequens est mentio apud bucolicos Poëtas.*

ODE VI.

AD PRINCIPES EUROPAE.

ARGUMENTUM.

Plures sunt Odæ Sarbievii, quibus concitare conatur animos Principum, ut Imperium Orientis recuperare, et Turcas imanem ac nomini Christiano infensissimam gentem, injuste occupatis sedibus expellere velint. Memor Poëta, in Patriam et Religionem pius, tot populationum, vexationum et bellorum, quibus a nomine Saraceno Christiani pessime habiti sunt, odio Poëtico plenus, exitium Turcis meditatur. Multus autem in hoc argumento esse solet, quod eo delectatur quodammodo, idque vel maxime ob eam causam, quod populares sui Poloni toties barbarorum impe- tu fracto non semel cladem ab universa Europa virtute, constantia, et artis militaris scientia arcuerunt, et in propria pelle quiescere coegerunt.

De recuperando Orientis imperio.

Nondum minaci cornua Bosphoro
Decussit audax Pontus, et efferis

Ad vers. 1. *Nondum audax Pontus decussit corna* (signum primarium Turcarum, luna videlicet cornuta cornibus in septem triones versis) i. est: nondum fregit potentiam Bospori (minoris marinæ Deitatis quam ipse Pontus est, quem vel ideo maiuscula scriptum reperimus

Servire Neptunus Gelonis
 Turpe gemit, resonasque fluctu
 Plangente ripas Thraca rebellibus 5
 Immugit undis. Emathiam pudet
 Frenos momordisse, et Pelasgos
 Odrysiis dare colla loris.

in Argentoratensi et Budensi Stereotypa, quod pro universo Oceano sumitur; et *Neptunus gemit*, servire se *Gelonis* (Geloni gens scythica Borystheni accola, lacte et sanguine canino mixtis vesci solita). unde *efferi* quasi valde feri. dicuntur. Virg. *Saevitq; juuentus effera* VIII Æn. 5. *Turpe* pro turpiter adject. pro adverb. resertur autem ad *τὸ σερνικό*.

ad vers. 4 5 et 6. Solve sententiam in hæc verba: *et Thraca* (Nominativus est pro Thrace ita Virg. XII Æne. v. *Gemit ultima pulsu Thraca pedum dum fluctus* (*Neptuni*) plangit (ita etiam Lucr. Lib. II ver. 1153 *Nec mare nec fluctus plangentes sana crearunt ripas Bospori resonas, rebellibus undis immugiit*; q. d. et *Thracia* i. e. *Turcia* (unica, quamvis eam *Neptunus fluctibus suis* verberat, i. e. *Bosporum* rebellem punit, ita ut *ripæ verbere resonent*, tamen remugit pro suo *Bosporo* undis toti *Neptuno* rebellibus. Id vero Poëta ita sibi prosopipicōs fingit quasi *Thracia* pro suo *Bosporo*, a *Neptuno* male habita, *Neptuno* respondeat ferociter, et eidem Domino suo obedientiam abnuat. Simili Phrasi utitur noster III Od. I *et cachinno . . . plaudente ripas*: item IV Od. 29 v. 19 *Hinc Martis atque hinc rupta tonitruis immugit unda.*

ad vers. 6 et 7. *Emathiam* (quæ etiam Thessalia et Pœomia ab *Emathio* Rege dicta Virg. I Geor. v. 492 bis *sanguine nostro Emathiam et latos Haemi pinguescere campos*. Ad vers. 7 et 8. *momordisse* præteritum in præsen-

- Moerent tenaci compede Cyclades
 Pigrae moveri, moeret Achaica 10
 Tethys, inaequalesque campi
 Perpetuo lacrymatur Hebro.
 Semperne nigras Aethyopum domos,
 Vel, quae superbus praefluit oppida
-

ti pro τοῦ mordere Pelasgos (populi Græciæ vetustissimi olim Thessali dicti et Danai.) Odrysæ Thraciæ populi circa Hæbrum fluvium. lora quibus servi vinciebantur et etiam cædebantur, unde passim apud Plautum lorarii dicebantur famuli a officio cædendi etvinciendi servos.

ad vers. 9: quod supra: pudet Emathiam momordisse, id aliis verbis: mærent tenacii compede Cyclades pigrae moveri: Cyclades (quæ olim fingebantur mobiles ut in Apollinis Historia Delos) nunc compedibus Turcarum (adstrictæ) pigrae moveri, vide ad vers. 51 Od. I hujus Libri: piger adjectivum a piget, cum infinitivo, velut etiam Horat. I Sat. 4 v. 12. atque piger scribendi ferre laborem et cum genit. II Hor. Ep. I vers. 24 Militiae piger.

ad vers. 10. Mæret Ahaica Tethys (non Thetis quæ erat uxor Pelei) sed Tethys Coeli et Vestæ Filia, soror Saturni et Titani, uxor Oceani mater Fluviorum et Nympharum Oceanidarum. Hic sumitur pro Mari Achaico, seu potius sinu cognomine, atque adeo pro ipsa Achaja provincia Poloponesi, et inaequales campi perpetuo Hebro (fluvius ingens Thraciæ, qui ex Hæmo monte, seu Rhodope oritur, et inter montes perpetuos decurrens mari Ægeo miscetur) lacrymantur pro illacrymantur, ut Hebro dativus sit, eum enim postulant composita activa ex præpositione accusativum poscente: perpetuus i. e. continuo quod uno tenore decurrit. Sic Plautus: noctem pependi perpetem.

ad vers. 13. et seqq. Videamus orationis seriem:

Ganges, Abydenasque turres
 Supplicibus tremuisse pennis
 Formidolosam juverit Artacen?
 Sesequre captum Bosporus omnibus

15

Semperne juverit pro juvabit i. e. delectabit *formidolosam Artacen* (vel perfect. conjunctivi potentialis. czy zawsze Stambuł ma się cieszyć, że) urbs Asiæ opposita Constantinopoli, ut quod pro Constantinopolitanis mœnibus a latere maritimo agatur, recte etiam agi posse dicitur in conspectu Artaces) quid juvabit? tremuisse (ut Horat. I Od. I v. 4 *juvat collegisse pulverem olympicum* præteritum in præsenti, et infinitivus pro nominativo). Quis autem tremere dicitur? *Aethyopum domus*, (Africa) et oppida, quæ superbus Ganges præfluit, et turres Abydenæ (infinitivus hos nominativos in accusativos transformavit). *Ganges superbis*, quia au-rifer, vel magnitudinis ingentis. Abydenæ Turres appellantur Dardanellæ; sunt autem munitiones duæ ex mari mediterraneo in Hellespontum navibus aditum prohibentes. *Abydos* in asiatico solo, Sestos ex opposito in agro Europeo sitæ sunt.

ad vers. 18. *Semperne ploret* (potentialis) Bosporus se captum esse (cum) omnibus suis undis (cui ploret?) Erythræo, (seu rubro mari) Jonio item alto (profundo) et Arabio; quæ ei sunt sociæ captivitate, adeo ut invicem sibi condoleant. Supra Bosporum minacem dixit, quod ibi Bosporus, partes agere ipsius Constantinopolis, coactus sit. Neptuno enim objicienda fuit urbs aquarum facie, ut ita verborum certamen esset æquiore Marte: Hic eum pro se plorare facit atque ipsum omnium aquarum maxime, quod vel plorare non semper sit licitum, sed minaces etiam personæ assumendæ.

Hactenus indignationem lectorum movere conabatur Poëta a deploranda conditione Graciæ et aliarum Provinciarum

- 15 Undis Erythraeoque et alto
 Jonio Arabioque ploret? 20
- Vani futuri temporis augures
Foecunda rerum secula discimus:
Si non retractamus fideli
Tela manu, tacitoque gaudet
- Vagina ferro; si clypei vacant, 25
Hastaeque et arcus. Non animi placent
Parci laborum, non magistrae
Consilii, sine Marte, linguae.
-

ciarum imperio Othomannico parentium: abhinc eam indignationem irritare nititur acri perstrictione morum effeminatorum, et luxu socordi fluentium.

ad vers. 21. Sed nos o *vani augures futuri temporis*, quo fore omnia excellentiora confidimus, *discimus* id est, ediscimus ex historicis monumentis, olim secula floruisse rerum gestarum gloriæ fœcundiora: sed *vani*, pro *in vanum* seu frustra: nisi tela retractamus fideli (religiosa) manu, seu animo, ut majores nostri, et si tacito (non moto) *vagina gaudet &c.* retractare i. e. frequenter manu versare. *Manus autem fidelis Hypallage pro nos sideles*, i. e. in Deum pii.

ad vers. 26 et seqq. Nam (ut verum fatear) inquit Sarbievius, non mihi placent *animi laborum parci*) vide vers. 51 Od. I Lib. hujus. nec placent *linguae* (quæ *Magistrae* sunt consilii i. e. docent, quomodo quid auspicandum, persequendum et absolvendum sit) Martem autem ciere nequeunt: seu cum doctae sint, fortitudine destituuntur.

Frustra Novembres dicimus ad focos
 Pugnata Rhaetis bella sub Alpibus : 30
 Frustra renarramus Gelonum
 Versa retro retulisse signa :
 Si non et ipsi stringere Noricos
 Audemus enses : quos male barbara

ad vers. 29 et seqq. Horatius canit: cum Tibi *Nona*
nae redundant Decembres III Od. 18. v. 10, nos, quorum re-
 gion ad septentriones proprius vergit, hyemem jam Mense
 Novembri apud focos degimus. versu 30 imitatur Horat.
 IV Ode 4 v. 17. *Videre Rhaeti bella sub Alpibus.* Rhæ-
 tia partem Sueviæ et Bavariæ occupabat. Videntur intelli-
 gi bella quæcunque sub Alpibus *pugnata*. Ne gramma-
 ticam nimis aurem offendat verbi neutrius participium si-
 gnificatione passiva conf. Hor. III Ode 27 v. 28 et 29 *Quid*
Seres, et regnata Cyro Bactra parent etc. item III
 Od. 3 v. 43 et 44 *triumphatisque possit Roma ferox*
dare jura Medis et III Od. 19 v. 4 et pugnata sacro
bella sub Ilio. Imo etiam Cor. Nep. in Hannibale cap.
 5. *Hac pugna pugnata Romam profectus est.* Ge-
 loni pro Turcis sæpius a nostris victi.

ad vers. 34. *Si non pro nisi; enses Norici* Hor-
 atio etiam celebrantur. Ita. Epod. 17. 71 *Norico ense pectus*
recludere. et I Od. 16 v. 9 et 10 *Noricus ensis*
deterret. A Norico ita dicti; (quod est nunc Bavariæ et Au-
 striae pars) quod optimi enses in ea regione fabricantur
 teste Plinio Lib. 34 cap. 14. *Alibi ferro bonitatem*
praestat factura v.g. aqua, cui subinde candens im-
mergitur, at in Noricis vena ipsa bonitatem praebet.
male barbara vide notam nostram ad vers. 2 Odae I Li-
 bri hujus. non decoloravere id est sanguine non tinxere,
 ita etiam Hor. II Od. I 35 *Quod Mare Dauniae non*
decoloravere caedes? quod Lucanus suo more: *Tum pri-*

- 30
 Non decoloravere terga, 35
 Sed Tyrio Latiale fuco
 Illevit aurum, non sine gemmeo
 Circumsonantis fulgure balthei, et
 Grato catenarum tumultu,
 Et sonitu phalerarum acuto. 40
 Formosa fortis arma timent viros
 Frangique nolent, seu profugus Scythes
-

mum rubuit civili sanguine Nereus. q. d. Eheu! Enses nostri non traxerunt colorem rubrum ex sanguine hostium, qui color enses deceret maxime, sed ex auro latiali, quod fuko Tyrio illitum est, quique color eos potius dedecet, sicut ensibus non assert honorem *gemmeum fulgur balthei circumsonantis, aut tumultus catenularum appensarum gratus auribus vanis, et sonitus acutus Phalerarum.* *Tyrio fuko:* solent induci etiam nunc gladii a capulo vel ad quartam vel ad tertiam gladii partem fuko, qui nobis dicitur *smele,* isque colore est ex violaceo in purpureum luxuriante, id itaque appellat noster Tyrium, id est puniceum fucum, cui solent aurei vel flores, vel inscriptiones illini, (nabiaæ złotemi kwiatami, napisami) aurum latiale appellat a Latio, scripta enim erat haec Ode Romæ.

ad vers. 38. *Circumsonantis*, ita Virg. 8 Æn. 474
Hinc Rutulus premit et murum circumsonat armis. et phalerarum sonitu, eo quod ensis per phalerarum insignia tractus, sonum acutum resert.

ad vers. 41. q. d. Miles formosis armis indutus, timet fortiores se se hostes, ne admant: et etiam timet, ne quid armorum corrumpat, cum Scythæ et Turcæ sugiunt, adeo quidem, ut eos armorum amore suorum impune loco cedere permittat. Scythæ et Dolopes (gens Thessala.) Myrmidones (gens item Thessaliæ ab Ægina

Seu creber e campis agetur
Myrmidonum Dolopumve nimbus.

- | | |
|---|----|
| Quicumque suras et caput induet
Auro, Quirites, exuet Italum:
Civisque Romanus negari
Impavido patietur hosti.
Nec qui capillum finget, et aureum
Solem refusis crinibus allinet,
Dicemus Umbrum, qui frementes
Antiochi Annibalisque turmas | 45 |
|---|----|
-

originem trahens) pro quibusvis fortibus hostibus maxime
 Turcis, quorum illæ sunt ditionis; nimbus (chmura).

ad vers. 46. *exuet Italum*, i. e. jam non erit
 Italus, nec patietur dici cives romanus is *impavido hosti* dativus græcus, pro *ab impavido hoste*.

ad vers. 49. et seqq. neque etiam calamistratos,
 vel quos Homerus *καρηκομόωντες* capite pulchre comato
 vocat, neque aurum crinibus implexentes fortes milites
 vocabimus. Plinius Lib. H. N. XXXIII cap.-IV hæc re-
 fert: *Est quidem apud eundem Homerum virorum*
crinibus aurum implexum; ideo nescio an prior usus
a feminis cœperit. ad quem Plinii locum Dalechampius:
 „Locus est apud Homerum Iliad P paulo post principium
Πλούγμοι οἱ οἵ τε καὶ ἀργυρῷ ἐσφῆκαντο. Aurum
 atque argentum nectebant undique crines. Hactenus Da-
 lechampius, quod ipsum noster poëtice *solem aureum*
allinet crinibus. Confer Virg. Lib. IX Æneid 598 et
 seqq. et Satyras Opaliński, quibus luxum temporum suo-
 rum describit.

ad vers. 51. *Umbrum* appellat, quod supra *Ita-
 lum*, partem videlicet pro toto. Est autem Umbria Du-
 catus Spoletanus. *Antiochi Annibalisque turmas.* U-

Rursum efficaci diruat impetu,
Alpesque, clausumque intrepida manu

Perrumpat orbem. Sic citatis 55
Secula degenerare metis

Sancit futuri temporis arbiter,
Certoque prudens ordine segreges

trumque hunc Romanis formidolosissimum ducem etiam Horatius conjungit Lib. III Od. VI v. 35 et seqq. Illum Acilius Glabrio, hunc Scipio deleverunt.

ad vers. 53. Ita Horat. Lib. IV Od. 14 v. 30. *Vasto diruit impetu, clausumque (mari) orbem (velut Tibull. IV I v. 53. Qua maris extremis tellus includitur undis et Propert. III 18 v. 1. Clausus ab umbruso qua ludit Pontus Averno. et Horat. I Od. 3 v. 36 Perrupit Acheronta Herculeus labor.) superet. Nostri Sententia ex his exemplis clara et perspicax.*

ad vers. 55. seqq. Vide sis versum hujus ipsius Odæ 21. cuius sententia ibi explicatur: Ibi aliquantisper, hic Poëta nihil nos jam confidere jubet; sed mox consolatur, cum ait: *Arbiter futuri temporis (DEUS) lege quadam sanxit, ut secula (magis ac magis) degenerarent metis citatis (incitantibus se, i. e. adpropinquantibus quodammodo; vide notam nostram ad vers. 21 et seqq. sed interim prudens (providens) metatur annos (metas ponit annis) segreges (adjективum est, ut apud Senec. lib. IV de Benef. c. 18. Quaecumque raga nascuntur et vitam actura segregem) annis segregibus, a ceterorum comitatu avulsis, ut, per dextræ sua properantes, non impedirent incidentes via honoris et virtutis, idque agit: Ordine certo, id est: metatur viam diversam socordibus annis, et viam rectam eo ipso aperit conspicuam pergentibus ea ire.*

60

Metatur annos. Nunc severis Artibus ingenioque pugnax	
Affulget aetas: nunc melior foro Gestit disertis fervere jurgiis.	
Haec Thracas audacemque Bessum Haec Cilicas pavidosque Seras	

ad vers. 59. et seqq. *Nunc* (illis segregibus) *affulget aetas pugnax severis artibus* (cave credideris ablativum esse, sicut et) *ingenio* (dativi enim græci sunt, quod lingua græca verba *pugnandi*, *bellandi*, *certandi* dativo eonjungit, quod latine proprie dixeris : *Nunc affulget ætas*, quæ pugnas indicit *severis artibus*, et *ingenio* i. e. artes severas evertere et ingenis bonis labem affingere nititur. Anacr. *Tί μοι μάχεσθαι τραγοι* et Latine Ovid. Metam. Lib. I v. 432. *Cumque sit ignis aquae pugnax* et alia sexcenta.

ad vers. 61. *melior foro* (causis forensibus affulsit aetas, quæ *gestit* (alibi id ipsum amat diceret) *fervore* (cum sit secundæ conjugationis *ferveo* incrementum longum sit oporteat : Sed de *ferveo* et tergo quod vice versa apud Horatium tergeo) in aurem utramque dormias licet, habet enim etiam Virgilius persæpe *fervore* et *tergere*. Cato cap. 3. *Per ferias vero fossas veteres tergeri*. Juvenal: item Satyr. XIV v. 62 et Liv. Lib. XXVI c. ultim.

ad vers. 62. *jurgiis disertis* (inter Patronos causarum digladiantes oratoriis lenociniis.)

ad vers. 63. et seqq. *Haec ætas produxit Thracas* (pro Thraces græca terminatione, qui Thraces nisi nos degeneraremus, ne hiscere quidem adversus nos audent) et *audacem Bessum* (qui Darium Regem suum captum, inhians throno Persico, vulneribus confudit, q. d. Persæ etiam erant nobis similes, effeminati, non enim

- 60
Produxit aetas. Nos senio piger 65
Effudit orbis, dedecus ultimum
Mundi, fatiscentisque naturae
Opprobrium. Male nata proles,
Quid quid bonorum restitit (heu nefas!)
Morum, scelestata deterimus nota, 70
Mentisque et excelsi latrones
Ingenii, violenta fraudum
-

aliter Bessstantum scelus moliri potuisset) *haec produxit Cilicas et pavidos Seres*, qui, nisi corrupti essent mores, pro frequentia incolarum bellicosissimi essent.

ad vers. 65 et seqq. Longe pulcherrima et orbis et virtutis senescentis descriptio. Solent enim senum parentum deteriores esse et nani plerumque atque morbos filii. Lucret. III v. 459 *Anima naturae fatiscit fessa aero. et Horat. Lib. II Od. 13 v. 4 arborem appellat opprobrium pagi.*

ad vers. 68, et 69. *Nos male nata proles* (omne id) quod (partitive) *bonorum morum* (etiam) restitit *deterimus nota scelestata*. Cic. III Offic. *O turpem notam temporum!* Horat. I Od. 6 v. 11 12 *culpam deterere ingeni* deterere, i. e. deterius potius reddere, quam exornare.

ad vers. 71 et seqq. Vide vero iterum locum, quem Durinius carpit loco citato in commentario ad vers. 63 Odæ III hujus Lib. Vult Sarbievius dicere: *Nos latrones* (insidiatores) *excelsae mentis, et ingenii*, q. d. hostes omnium earum artium, quæ excelsam mentem et ingenium efflagitant, *violentia fraudum tormenta sanctis dotibus addimus* i. e. utiinur tormentis fraudum, (krętanin zdradzieckich używać) eatq; sanctas appellamus, atque ex ea re laudamus nos ipsos (vide notam ad vers. 21 Odæ I hujus Libr.)

- Tormenta sanctis addere dotibus
Laudamur ultro; nec scelerum pudet
Virtusque clamatur sagacem 75
Flagitio violare dextram.

Iras et enses vendimus, et manum,
Hac, unde nummis aura refulserit:
Sparsique tinnitus ad auri
Sollicita vacat aure vulgus. 80

Et, qua secundis jecit honoribus
Bene ominatam mobilis aleam

ad vers. 75. et $\tau\delta$ violare (pro nominativo) clamatur (a nobis) i. e. prædicatur virtus.

ad vers. 77. et seqq. *Vendimus iras* (quæ potius essent in Turcas convertendæ) i. e. animos bellicosos, *et enses et manum*, parati sumus vendere quacunque ex parte *aura* (nos circumdans *refulserit nummis* (nummis nitorem auræ conferentibus) *et vulgus vacat aure* (intentum est auribus) *ad tinnitus auri solliciti* (significatione activa i. e. auri sollicitantis aures nostras. Velut Virg. 10 Ec. *Sollicitos Galli dicamus amores* — et Horat. Lib. II Serm. Sat. 6 v. 78 et 79 *Nam si quis laudat Arelli Sollicitas ignarus opes.*

ad vers. 81. et seqq: *Et (ea parte) qua fortuna mobilis aleam bene ominatam* (pro ominantem (vide not ad vers. 32 Odae I lib. hujus) *honoribus secundis* (cui bene ominantem? honoribus adipiscendis, *secundis* (pro sequentibus) *jecerit* (vide notam ad vers. 5 et 6 Odae II lib. hujus) *mentitur honos* (quem plebs exhibet) *caducae* (humi sessi prosternentis, seu ad genua cadentis) *et omnis civitas* (cives) *fallax* (fallaces) *posito poplite* (genu) *accumbit* (scilicet Tibi seu te adorat) *perjura* q. d. hæc omnia agunt cives perjuri i.

75 Fortuna, mentitur caducae
Plebis honos, positoque fallax.

Accumbit omnis poplite civitas, 85
Perjura festo surgere cum joco
Cum pompa stipantum et dolosi
Praeterit breve fulgur auri.

80 e. fraudulenti, simulantes honorem, statimque *festo cum joco* (cum risu exsillante) *surgunt* (surgere infinitivus adjectivi verbalis: *perjure surgere*) quam primum pompa stipantum et fulgur dolosi auri praeterit.

O D E VII.

AD TELEPHUM LYCUM.

F_{ortunae}, rerumque humanarum inconstantiam accusat.

Eheu, Telephe ludimur:
Fortunae volueri ludimur impetu!
Aeternum nihil est, sacro
Quidquid lenta tulit materies sinu.

Ad vers. 1. et seqq. *Telephe* (nomen fictum vide Argumentum ad Odam II hujus libri) *ludit nos* (mamias) *impetus* *Fortunae volueris* q. d. dum nobis subito favet fortuna, nos creduli decipi nos patimur, atque ei nos toti quanti impendimus.

ad vers. 3. Sed ego affirmo tibi, nihil esse aeternum, quod est ex materia ortum. *Materiam lentam*

Statur casibus. Occidet 5
 Quod surgit: sed adhuc surget et occidet
 Ritu praecipitis pilae,
 Quae cum pulsa cava rejicitur manu,
 Nunq̄ lenes secat Africos,
 Nunc terrae refugis absilit ictibus. 10
 Vesper vesperē truditur.
 Sed nunc deterior, nunc melior subit.
 Anni nubibus insident,
 Incertis equitant lustra favoniis,

dicit, non ut aduersetur sacrī literis, sed ut iis adstipuletur. Nempe *In principio creavit Deus Cælum et terram: terra autem erat inanis et vacua &c.* Scilicet: A principio, tempore ignoto nobis, erat creata materia, et deinde sero post, unde *lenta materies cœpta est creatio*, ut porro describitur in Genesi. *Sacro sinu propter reverentiam Matri debitam*, ex hoc enim nomine nomen *Materiae* ortum est.

ad vers. 5. *Statur casibus* (dativus est) pro *ad novos casus*, ubi etiam dici potest, *ad cadendum*, seu *ut cadetur* vel si vis: ex casu assurgitnr, vel casus omnia dirigit.

ad vers. 7. Pulcherrima descriptio et comparatio. Agitur de *pila* aëre inflata quæ *pulsa* (propria significative frequentativa *ποτε τῷ pello*) — *terrae genitivus communis ad τῷ ictibus referendus*, nunc in aëra fertur, nunc in terram decidit alternis.

ad vers. 11. Ita Horatius II Od. XVIII v. 15 *Truditur dies die.*

ad vers. 13. et seqq. Fingit Poëta *annos* ita celeriter transigi, velut nubes quibus *nubibus annos insidere*, et *equitare favoniis* ad indicandum celeritatem fa-

Cœco secula turbine.

15

Haec quam Pieria decipimus lyra
 Juncto fulminis essedo,
 Eheu! quam celeres hora quatit Notos!
 Nec gratae strepitum lyrae
 Nec curat miserae carmina tibiae: 20
 Et quāquam canitur, levis
 Se se tota suis laudibus invidet.
Magnas interea rapit
 Urbesque et populos et miserabili
Reges subruit impetu: 25
 Et sceptri decus, et regna cadentium
Permiscet cineri ducum,
 Auratasque trabes et penetralia
Et cives simul et super
 Eversis sepelit turribus oppida; 30
Ac mundi procul arduas
Stragesque et cumulos, et Procerum pyras

cit, ferrique cum *turbine* (vento in gyrum agitato) *cœco* (qui nullis obstaculis cohibetur.)

ad vers. 16. et seqq. Divine vero Poëta prosequitur, et *celeritatis* maximæ condeinnat *horam praesentem*, quam ait fallere se (Poëtam) conari *cantu pierio*: sed illam vectam essedo fulminis (curru fulminis, quo nihil ociosi fingi potest) fatigare Notos celeres; tum vero esse negligentem *laudum* suarum (audiendarum) ut *se sibi ipsa invidere* videatur.

ad vers. 23. et seqq. Perseverat in *cœpta Metaphora* horæ ventis insidentis omnia evertentis impetu suo, quæcumque obvia fiunt.

ad vers. 31. et seqq. Eadem Metaphora continua-

Festa nube supervolat;
 Stellarumque rotam et longa brevissimo
 Cursu secula corripit. 35

Dum nobis taciti diffugiunt dies
 Eheu! Telephe, ludimur,
 Fatorum rapida ludimur orbita.
 An nos fallimur? an suam
 Rerum pulcher habet vultus imaginem? 40
 Et sunt, quae, Lyce, cernimus?
 An peccant fatuis lumina palpebris,
 Et mendax oculi vitrum?
 An longi trahitur fabula somnii? 44

tur, dum canit Poëta, *volare horam (celerem) super strages et cumulos mundi, (et super) procerum (a se prostratorum) pyras (quibus ex lignorum acervo structis corpora eorum comburenda exponebantur) festa i. e. judicanda nube supervolat: Stellarumque, inquit rotam corripit, ut passim Poëta rapere, corripere, gradum ajunt pro maturare deproperare; et longa secula cursu corripit brevissimo.*

ad vers. 36. Itaq, *Telephe, dum nobis taciti (nos fallentes) diffugiunt (præterlabuntur) dies, nonne bene dixi ab initio hujus odæ, sæpe nos decipi fatorum volubili orbe?*

ad vers. 39. et seqq. An hæc omnia non ita fiunt: q. d. forsitan hæc omnia non ita fiunt, ut nobis videntur? An non potius pulcher (constans) rerum vultus (ordo v. facies) aliam uobis imaginem objicit, et aliam observat? et num hæc sunt vera, quæ cernimus? An peccant (fallunt nos) lumina (oculi) fatuis (non veris) palpebris, an mendax oculi vitrum (membranae oculorum pellucidæ (et etiam non veræ) an potius tra-

*simo
35
10
41
super
m (1
acervo
festa
inquit
gra-
ecula
i (us
e be-
torum
funt:
iden-
ultus
aliam
? An
n ve-
braus
; tra-*

hitur fabula longi somnii (an itaque longum agimus somnum q. d. An tu Telephe possis induci, ut credas vitam nostram præsentem fabulam esse , i. e. de qua multa fabulari licet) vel somnium , nosque unice a nostris decipi sensibus , et non potius vere vivere , et hæc esse omnia ejusmodi , ut sensibus nostris objiciuntur ?

O D E VIII.

Ejusdem est fere argumenti ac VI hujus libri , sed dici vix potest quanta varietate delectet , qua fictione nos secum abripiat , quanto Enthusiasmo caleat ?

*Aut nos avarae vendidimus Tyro
Aut usque Thulen misimus exules
Cultus avorum. Non honoris
Praecipiti libet ire clivo :*

Non sceptra Pyrrhi , non Agamemnonis 5

Ad vers. 1. et seqq. *Aut nos pro purpura , quæ potissima Tyri tingebatur mores bonos avorum nostrorum , vendidimus vel eos exules amandavimus ultimam usque Thulen . Vide quæ dicta sunt ad vers. 17 Odæ primæ hujus Libri . Initium hujus Odæ confer cum Horat. III Lib. Od. 24 vers. 46 et seqq.*

ad vers. 5. et seqq. *Non libet nos pacisci leto (nostro) Epirum et Argolidem , quarum Regionum reges ponuntur per Metonymiam pro ipsis Regionibus ,) Pacisci dicimus convenire cum aliquo , de aliqua re pro pretio aliquo : ut sententia sit : nolumus pacisci , quasi cum fortuna , de sceptris qui Ablativus per accusativum solet redd . Pyrrhi et Agamemnonis , pro morte nostra ; q. d. nolumus nos obficere certamini , quod nobis regna Græ-*

Leto pacisci: non Halyattici
 Vejente permutare saxo
 Uber, Achaemeniumque Tigrim.
 Nescit severo livida brachia
 Signare ferro, nescit idoneis

10

ciæ lucrifaceret. Constructio itaque verbi paciscor est:
 quid (accusat. *regna*) quo? (ablativus pretii: *morte*)
 Velut Horat. III Lib. Od. 29 vers. 59 Non est meum...
votis pacisci, jacturam mercium, pro quo accusativo
 Horat. et alii vel infinitivum vel dissolutam per particu-
 lam congruentem sententiam ponere consueverunt: velut
 hic Horat. pro τῷ jacturam dixit: *ne Cypriae Tyriaeque*
merces addant avaro divitias mari. Justin: *Nuptias*
filiae pacisci cum Filio — et Plin. VIII cap. 7. *Pactus*
dimitti, si interemisset Elephantum.

ad vers. 6. et seqq. Non libet nobis *permutare*
uber (substantivum, accusat: obfitość) *Halyatici* (No-
 minis hujus Nominativus est et *Halyattes* et *Alyattes*, et
Halyatticus quod etiam hoc loco ex imitatione Horatii II
 Od. 16 vers. 42. *Quam si Mygdoniis Regnum Ha-*
lyattici campis continuem. *Halyattes* *Crosi* filius; u-
 terque divitiis celebratus quas e *Lydiæ metallis hauserant*)
Saxo *Vejente* (scripsit Oden hanc Romæ) *Veji* urbs
 ipsa sita erat in colle undique prærupto, unde etiam vix
 post decem annos capi a Romanis potuit. Verbum *per-*
muto, maxime omnium Hypallagen patitur. Dici enim et
 hic poterat: vel τῷ *Uber* *Acyattici* *Vejente saxo*,
Saxum *Vejens* *Ubere* *Halyattici*; *Achaemeniumque*
Tigrim nolumus permutare cum eodem saxo vejente.

ad vers. 9. et seqq. Imitatur noster Horatium I
 Od. VIII *Sybaritarum nomine molles cives perstringen-*
tem. *Nescit signare* (i. e. signum vulneris *livido bra-*
chio (Dativus) expressum præferre; ita enim alibi Horat.

Tiro reluctantem lupatis
 Frangere equum, metuitque torvum
 Tranare Tibrim, cum nivibus satur
 Exaestuantī frena licentiae
 Permisit, emovitque ripam
 Assiduae metuendus Urbi.
 Quodsi procacem fregit equus gradum
 Micatque nervis, et genibus tremit:
 15

IV Od. I v. 16 *Late signa feret militiae tuae*) nescit
 noster *Tiro* (juvens militiae adscriptus) *idoneis lupatis*
 (frenis asperioribus instar lupinorum dentium) *frangere*
 Horat: temperare i. e. domare *metuitque Tibrim tor-*
vum (ut passim *torva facies*, quasi tortus ex obliquo
 qualis irascentium esse vultus consueverunt) *tranare*
 (fortiorum virorum est, quam *tangentium*; quasi Sarbie-
 vius suis æqualibus majorem virtutem, quamvis socordi-
 bus tribuat, quam Horatius suis). Imprimis vero me-
 tuit *Tiro* tum, cum *Tibris nivibus satur* (ex montibus
 liquentibus exundans) *permisit* (præteritum in præsentι)
frena (laxat habemas, q. d. cum *Tibris* (Deus Fluvii)
 nolit continere *exaestuantem* (æstus dicitur propriæ fluxus
 et refluxus maris) exundantem *licentiam* (nullis cohiti-
 tam frenis) et cum idem *Tibris emovit*, i. e. ultra fines
 suos promovit) *ripas*, *Tibris* inquam *Urbi* (Romæ) *ad-*
siduae (scilicet ripis ejus perpetuum adsidenti, seu si-
 tæ ad ripas ejus) *metuendus*. Conf. Horat. IV Od. 15
 vers. 10 et 11.

ad vers. 17. *Quod si etiam tum equus gradum*
fregit, i. e. deflexit vel continuit, quod ipsum habet Stat.
 Pap. Theb. XII v. 232 nec *fregit iter caligantibus arvis*
 id est non *constitit* (desiit) cui significationi æquivalet:
 saepe diem mero *fregit morantem* i. e. interrupi moram
 diei, seselli Horat. I Od. II vers. 6 et 7, tum vero Vene-

At non Lupercales iisdem
Nescius assimulare saltus,

20

Et cum peritum sistra citant pedem
Doctus choreae. Frangite barbita

ris quam Martis castris aptior Tiro *micat nervis* velut Ovid. Fast. *Cor timore micat:* et idem VIII Metam Sinus *micuere metu.* et Cic. III de N. D. *Jam vero venae et arteriae micare non desinunt, quasi quodam igneo motu.* *Micare* igitur significat motum rei, qui oculis frequenti ictu suo illabitur, *nervis* vero qui in omni opere intendi solent et contineri, ipse in metu *micat*, vel contremiscit, *et genibus tremit*, notissimo metus indicio; quod etiam in patria nostra lingua in proverbium abiit. Ejusmodi tironem equo ineptum Horat. III Od. XIV vers. 54 et seqq. *Nescit equo rudis hærere ingenuus puer..... ludere doctior, seu graeco jubeas trocho seu malis vetita legibus aleā.* Quæ ultima verba longe præstantius noster Sarbievius: *at non Lupercales iisdem nescius assimulare saltus:* nam et sententia in eadem metaphora persisti, et pedum tremor tripudis exercitarum, mira arte suggillatur. Sed Lupercales saltus (qui fuerint et an in Panos arcadici honorem cui Lupercali nomen erat, ab Evandro in Italiam allati et instituti, an in memoriam Nutricis conditorum Urbis lupæ, Mythologos consule) non est *nescius iisdem genibus* et pedibus, quibus equo hærens tremebat, *assimulare*, i. e. gesticulatione et motu adumbrare; et cum *pedem peritum* (modorum et numerorum musicorum) *sistra* (instrumentum musicam sacrificiis adhiberi solitum quale videre licet potissimum in symbolis Cereris, ejusque crioboliis et tauroholiis) *citant* (evocant, invitant, dirigunt, tum vero est *doctus choreae* (saltationis genera est probe edoctus.)

ad versum 22. et porro Vide vero exemplum sa-
tus

- 20
*Nervosque, dementemque buxum
 Femineo prohibete cantu.*
- Auditis? Istri litora personat** 25
Ferale cornu. Jam capita Alpium
Magnaeque respondere montes
Ausoniae: novat arma Mavors,
Urbesque tectis elicit. Ibimus?
An nos Caleno mensa tenet mero, 30
Coenaeque regnorum redemptae
Divitiis, populique censu?
-

tus poëtici, ex descriptione ironica in repentinam execrationem transilientis. *Frangite barbyta* (lyras, quæ molles ex seminarum manibus in virorum immigrarunt: est autem barbitos generis mascul: et femin: et barbiton neutrius) et (rumpite) *nervos* pro fidibus, atque *dementem buxum* (*Hypalage* pro τοῦ dementi cantu) buxum (vide commentarium ad vers. 1. Odæ V hujus libri) *prohibete femineo cantu:* *Prohibeo Hypallagen* item frequentem assumit: Idem enim est, sive dixeris: *Prohibete buxum cantu, ac, si malis: Prohibete cantum buxu.* *Femineo cantu* (decente magis feminas.)

ad vers. 25. et seqq. Imitatur Horat. III Od. 4. v.
 5. *Auditis? Jam litora Istri personat cornu* (Turcarum) *ferale* (exitiale) Ferales dicuntur præcones, qui funus indicunt. Calep. in voce *feralis*). *Jam Alpes et Appenninus respondent* (est enim præteritum in præsenti) echo referentes. *Renovat Mavors* (Mars) *arma*, et urbium habitatores *elicit domibus suis.* Eja! Ibimusne?

ad vers. 30. et seqq. *An nos potius teneri patiemur*
mere Caleno (Cales vel Calenum urbs Campaniæ fertilem habet agrum vino generoso, quod sæpe Horatius

Quas cum recedens viderit Hesperus,
Surgens easdem Phosphorus adspicit,

Et ridet adspecto renidens 35

Luna mero, radiosque tingit;

Dum nos Lyaeo regificis super

Descripta mensis praelia pingimus,

Fusoque metamur Falerno

Moenia, diluimusque fossas. 40

Surgamus. Indo lutea Nero

Sublucet Eos: jam radiantium

etiam commemorat) *mensis* (pro a *mensis* active: an patiemur, ut nos teneant *mensæ* quo nos teneant? vino; et) *Cœnae, redemptae regnorum divitiis* (i. e. in quas impenduntur divitiae regnum et *populi census*. Ita C. c. ad Divers. II 16 *Acerbitatem a Republica privatis incommodis redemissem.*

ad vers. 33. et seqq. q. d. quæ totam noctem durabant. Vide quæ diximus supra ad vers. 21 Odæ II hujus libri. Quæ sequuntur lepidiuscula sunt, et Alceo et Pindaro dignissima.

ad vers. 37. et seqq. Scilicet *Luna radios mero tingit*, dum nos super *mensis regificis* (regales, seu reges imitantibus) *Lyæo* (Bacchi cognomen) fuso pingimus *praelia*, et *mœnia* metamur (*metis distinguimus* et *circumscribimus*) *Falerno*. (Mons erat et ager, qui vero mons *Falernus* idem et *Massicus* est; vino uterque optimo celebratissimus) et *fossas diluimus*. Q. d. scimus etiam nos *prælia committere*, et *metare mœnia*, et *fossas ducere*, sed hæc agimus super *cœnis*, et *commissabundi* digitis diffuso vino et ordines et castra, et opera militaria metantes.

ad vers. 41. et seqq. παγαινετηκώς. Jam Sol ori-

35 Flatus quadrigarum , et citatae
Oceanum repulere plantae.

Surgamus. Omnes prima vocat dies,
Et Phoebus: at non noster ab Indiis
Phoebus, Quirites, nec Latino
Orta dies famulatur Orbi.

45

40 ur: jam enim lutea Æos (Virg. VII Æneid. 26 *Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.*) sublucet Nereo Indo i. est: infra Nereum (Mare) Indum lucet: nondum conspecta: jam *flatus quadrigarum* radiantium repulit Oceanum (narribus spirantibus editus flatus quadrigarum i. e. ipsorum equorum impellit (præterit. in præs.) Oceanum, seu ante se agit fluctuantem, et plantæ (ungulæ) citatae vel incitatæ jam repulere Oceanum i. e. ungulæ nixæ oceano, eum pone se pepulerunt. Ita a Statio Pap. I Achill. singitur Thetis v. 99 et 100. *Ter conata manu, liquidum, ter gressibus aequor Pepulit, et niveas feriunt rada Thessala plantas.*

ad vers. 45. et seqq: Epanaphora. *Surgamus. Vocat nos omnes dies prima*, i. e. illucescens ei *Phœbus*. (*Sol.*) sed (proh pudor!) non noster *Sol* (quia oriens seu Asia inde usque ab Indiis non est nostra, neque nobis, (seu Latino Orbi) *dies ortæ* (nempe diei initium) *famulatur*, quia nostra non est: sed diris Othonanidis (Turcis eum orientem impendit Aether (i. e. Cœlum): *neque nobis nisi Occidens Phœbus, et fatigatus tantum* i. e. post ortum et meridiem jam sessus cursu prope *hesperium axem* i. e. sub vesperum, turpi *vespere*, (parte sui turpiore serviet? Quasi dicat: Pudeat nos solis initio et medio carentibus, ultimo demum vespere perfri; ubi neque ita est amoenus, neque efficax, sed ultima sui parte longe deterior.

Totumne diris Mane Othomanidis
Impendet aether? Proh pudor! Occidens 50
Nobis, fatigatusque tantum
Hesperium prope Phoebus axem
Turpi Latinis vespere serviet?
Surgamus: Oetam Gadibus et Paron
Addamus, Auroramque Nocti et 55
Bactra Tago, Tiberique Gangem.

ad vers. 54. et sequent: Surgamus et addamus seu redigamus sub eandem potestatem Oetam (Mons inter Thessaliam et Macedoniam morte et sepulchro Herculis famosus) Gadibus (freto Gaditano; ubi hodie Cadix) Auroramque nocti seu orientem solem Occidenti et Bactra (Metropolin Medorum) Tago (fluvio Lusitaniae , aureis arenis nobili) et Tiberi (Italico) Gangem Indicum.

O D E IX.

AD NICOLAUM VEIERUM PALATINI CULMENSIS FILIUM.

*Redit in Patriam optatissimus , et dotibus ani-
mi commendatissimus.*

A R G U M E N T U M.

Joannes Pater Nicolai longe celeberrimus erat artibus pacis et belti, filius Ernesti, qui ex Pomerania in Prussiam primus suæ gentis commigravit. Is rebellis Sigismundo III Regi Suecas ad officium redire coëgit. Cumque ex vulnere accepto convaluisse, mox in

Hungariam a Rege missus, conjunctis cum Cæsarianis exercitibus suis ibidem, et paulo post in Valachia et Volhinia hostibus terrori factus est. Ad Targovicum, Bucarestum, Bialocerkiew et Dziurdovium Turcas et Tartaros fudit. Smolenscum cum Jacobo Potocki, quum uterque primi muros condescindissent expugnavit, non evitato tamen vulnera longe periculosissimo. Eo sanato loricam suam in Deiparæ Domo Lauretana gratus suspendit. Ad Chocimum egregia virtute functus, cum Karabassa in stationem ejus nec opinato irruisset, expertus est Turca, quid Joannes bellica virtute sibi præstaret. In qua tota expeditione Ostrorogus Palatinus Posnaniensis in Diario, et Birkowski in sermone funebri summam ejus virtutem in cœlum laudibus ferunt. Mortuus est denique de patria sua optime meritus 1626 anno, et filio primo Braunsbergæ, dum literis operam daret, amissso, Nicolaum, ad quem Ode inscripta est, bonorum et honorum heredem reliquit. — Hic Romæ literis eruditus, dum in patriam redit, a Sarbievio hac Ode προπεμπτικην valere jussus est. Palatinus primum Marienburgensis, deinde Culmensis, Capitaneus item Radzynensis et Kozaloviensis, Legatus interfuit Comitiis anni 1631 unde ad Tribunal fiscale Radomiense (vide Constit. Fol. 10) et etiam ad Comitia Convocationis 1632 delegatus est. (Vide Act. interr.) „Literis, militari laude et fortitudine, liberalitate in egenos vir clarissimus, in medio cursu ereptus, Culmæque sepultus:” quæ verba leguntur in marmore sepulchrali in Puck

ubi Pater sibi suisque splendidum mausoleum erexerat, et quo corpus Nicolai etiam est delatum. Ex Uxore Tuczyniana Firley Castellanide Woyniciensi filiam suscepit, quæ Francisco Czarnkovic Castellano Posnaniensi nupsit. *Niesiecki.*

Ibis, belligerae regna Poloniae
 Et gratae repetes limina Patriae:
 Quae te voce diu, quae prece flagitat
 Passis obvia brachiis.
 Ceu, quem velivolis praepes Etesiis 5
 Navis divitibus distinet insulis
 Dilectum juvenem, quem modo barbara
 Auri corripuit fames,

Ad vers. 1. et seqq. Initium hujus Odae convenit cum initio Horatiano Lib. Epod Od. I. Similitudinem matris, quae a Strophe secunda ad versum 16 pertinet, assumxit noster ex Hor. Lib. IV Od. 5 a ver. 9, et suum superavit Magistrum. Tu verba ita coordina: *Ibis* (Nicolae) *et repetes* (redibus ad) *belligerae Poloniae regna* (per Synecdochen pluralis pro singulari) *et repetes limina* (Metaphora ab aedium limine) *Patriae gratae* (activa malim significatione ponì, nempe, quae ayo et patri Tuo grata est pro eorum in se meritis, vel si vis passive dici, quae cuique grata i. e. jucunda et amabilis est.) *quae Te* (jam) *diu flagitat* (reposeit) *voce et prece* (sua) *obvia brachiis passis* (a pando id est reductis brachiis: saepius invenire licet *passus*, quam *pansus* participium perfecti, neque facile nisi in composito *expando expansum*).

ad versum 5. et seqq. Ceu (particula poëtica pro *velut*) *Mater dilectum juvenem, quem navis praepes*

Mater sollicito speetat ab aequore,
 Et lento pelagi damnat Oriona, 10
 Et ventos gemitu duplicat, et pigro
 Affundit lacrymas mari:

(de volatu pennarum proprie, hic de velorum impetu)
Etesiis velivolis q. d. unde *praepes?* quia Etesiae (vide notam ad vers. 8 Odae II hujus Libri) velivoli (epithetum poeticum) eam praepetem i. e. celerem reddunt) *distinet* (ubi? in) *divitibus insulis* (Bis Horatius eodem et epitheto et nomine usus est scilicet IV Lib. Od. 8 vers. 25 *Lingua potentium ratum divitibus consecrat insulis*, etiam sine praepositione, et Epod. 16. 42 *Petamus arva, divites et insulas: μανάγων νέοντος* beatorum insulas Graeci vocant: insulas fortunatas, ex Strabone, sitas ad finem Mauritaniae, Latini dicunt: et in iis quidem collocant Campos Elysi, quos describit Virg. AEn. VI vers. 640: ego malim affirmare, Sarbievium hic divites insulas dixisse pro quavis regione divitiis abundantane, ad quam esset navi pervenientum: et quem corripuit barbara fames auri modo (jam) (nempe postquam aliquantulum jam auri lucrificat) *barbara fames* (per Hypallagen: barbari auri (i. e. inter barbaras gentes quaesiti) *auri corripuit*, quem (inquam repeate illud versu 5to) *Mater spectat ab aequore sollicito* (per Hypallagen Mater sollicita: vel potius cum Virgilio 4 Georg. 262 *Mare sollicitum Stridet refluxibus undis* (sollicitum activa significatione, ut saepe adjectiva verbalia solent, quasi sollicitum nautam reddens.)

ad vers. 10. *Et lento pelagi Oriona damnat*, ita dictum, ut apud Silium Ital. Lib. III versum 176. *Dum lentus cæpti terra cunctaris Ibera.* Lentus ad incipiendum, quod idem Sil. V Libr. v. 19 per infinit. *incaluisse lentus*, ut adeo necesse sit provocare ad vers. 51 Odae I hujus Libri.) Sarbievius *Oriona lentum pe-*

Si fors edomito fletibus Aeolo,
 Indo sole niger filius advolet,
 Et longi memores exilii notas
 Caris deleat osculis.

15

At tu nec studio mercis idoneus,
 Infamisque lucri, nec sitiens opum,
 Quas septem geminis prodigus ostiis
 Aut Ganges vomit, aut Tagus,

20

lagi i. d. ad illucescendum pelago, vel lento in veniendo
 ad pelagum) nam lucens Orion serenitatem, contra tempe-
 states designat. *damnat* pro maledicit, Germanus inter-
 pres Vratislaviensis vertit in nostram sententiam: *Schmählt*
auf Orions Gestirn, schmählet auf Wind und Meer,
und verwünscht ihre Ruh.

ad vers. 13. et seqq. Si fortassis *edomito* (i. e.
 placato) *fletibus* (suis) *Aeolo advolet* (pro advolaret
 conditionali 1º) *Indo sole niger*, et si (fortassis) *de-
 leat* (seu deleret) *caris* (suis Mater) *osculis notas me-
 mores* (activa significatione, ut illud Virg. *Saevae memo-
 rem Junonis ob iram*) *exilii longi* q. d. longum exilium
 in memoriam revocantes. Quam tenera mater! Quam
 sollicita de filio! Quam diligens Sarbievius!

ad vers. 17. et seqq. *Studio mercis* (i. e. studio
 exercendæ mercaturæ) nec idoneus cum *Dativo studio:*
*Hor. IV Libr. Od. 12 vers. 25 studium lucri etiam ap-
 pellat; et quod noster infame lucrum*, id *Quinct. Lib.
 I Sordidum, Ovid. pudendum, et Horat. I Ep. 12 ver. 14
 Lucri contagia dixerunt; nec sitiens opum*, vide no-
 tam ad vers. 51 *Odæ I* hujus Libri.

ad versum 19. *Septemgeminis* i. e. quatuordecim
 ostiis *prodigus* i. e. largus *Ganges aut Tagus vomit*
 i. e. profundit; uterque fluvius aurum arenæ commixtum
 vehere credebatur. *Septemgeminis aliquando non amplius,*
 quam

15
Invises patrium limen , amantior
Insignes animi quaerere copias
Et vi consilii promptus et ubere
Vena divitis ingenii.

20
Te rerum sapiens usus et imperii,
Te felix operum spiritus addecet ,
Et vox se populo fundere largior
Plenae flumine copiae.

25
Fortunae volucrem mitte licentiam :

Hoc appone lucro , quod tuleris simul 30

quam septem notat , quod idem tergeminus , v. c. tergeminus Geryon non nisi tres Geryones id est: tricorporem valet.

ad vers. 21. amantior quaerere pro querendi , insignes animi copias , literarum Studiis expoliri , et vi consilii (factus es) promptus i. e. quandocumque opus est , et Tibi et aliis consulere efficaciter et cito edoctus es: et ubere vena ingenii divitis , et Tuopte ingenio dives es abunde , id enim uber vena indigitat .

ad vers. 25. et seqq. Te addecet i. e. Tibi orname-
nto sit , rerum et imperii sapiens usus , ut scias sapien-
ter uti rebus , tam re scilicet familiari , quam temporibus
(okoliczności) et imperio quod Tibi mox in alias com-
mendabitur: Tibi decori item sit vox largior , i. e. elo-
quentia , largior inquam ad fundendam se populo (in
orationibus et concionibus comitiorum) toto flumine ple-
næ copiæ.

ad versum 29. et seqq. Omitte per Aphæresin , i.
e. ne cura volucrem licentiam Fortunae. Hoc appone
lucro i. e. pro lucro vero habeto , seu inter alia Tua lu-
cra refer , ita etiam Horat. I Lib. Ode 9 vers. 14 et 15.
Quem sors dierum cumque dabit , lucro appone. quod
tuleris (pro feres simul , quocumque te (ipsum) feres
(hoc pro tuleris) per Aphæresim conferes , contuleris .

Quo te cumque feres; seu per inhospita
 Rauci litora Bospori,
 Et captum nivea compede Nereum;
 Seu pacis dubios Thracas, et asperum
 Persen, seu refugum visere Concanum 35
 Legatus properaveris.

ad vers. 31 et 32. *seu per inhospita litora* (alludit ad nomen Maris nigri, pro quo hic *Bosporus* pars pro toto ponitur, quod mare per Ευφημισμον, Ευξεινον i. e. *bene hospitale* appellatur, sicut Φιλοπατω^ρ amicus Patris, e vero autem intersector Patris. Horat eundem *Bosporum* describens ait II Od. XIII vers. 14 et seqq. *Nauita Bosporum Poenus perhorrescit*: Est enim mare nigrum scopolis cœcis, et Symplegadum aditu navigantibus infestum, ita ut ejus litora vix olim fuerint tentata. *Raucus* a sono velut Horat. II Od. 14 ver. 14. *Fractisque rauci fluctibus Adriae*. ubi *Adriam* mare masculini generis esse memento: femininum *Adria* urbem denominat.

ad vers. 33. *Et captum nivea compede Nereum*, pro *Oceano* glaciali velut Hor. I Ep. 3. 3. *Hebrusque nivali compede vincitus*, ne moveri possit sicut ille, cuius pedes capti sunt.

ad vers. 34. *pacis dubium* i. e. cum Thracibus seu Turcis pax est incerta inconstans, de qua dubites continuo; ita dictum ut *dubius animi* Virg. III Georg. 289—*ut dubius vitae* Ovid. III Trist. 3 vers. 25 et *dubius sententiae* Liv. Lib. XXXIII c. 25 atque ut ad vers. 51. Odæ I lib. hujus, *dubius notari* Stat. III Theb. vers. 42. Asperum Serv. ad illud. Virgil. I Æneid. *aspera Juno*: ait *Asper natura, et omnibus iniqua* quo etiam pertinet illud Virg. I Æne. vers. 14 *Studiisque asperrima belli*.

ad vers. 35. *refugum visere Concanum* Concanus pro quolibet Scytha, proprie *Concani pars Cantabro-*

Virtutem solidi pectoris hospitam,
 Idem portat equus, qui dominum: neque
 Aut campo melior pone perambulat
 Aut mensae comes assidet. 40

Illam cana fides, nudaque veritas
 Et ferrugineae plebe pecuniae

*rum, apud Hispaniam Tarraconensem, Massageta-
 rum colonia; quaedam habuere communia cum Thra-
 cibus et Scythis &c. Strab. 5. Quod noster resugus, id
 Horat. profugus I Od. 35 vers. 9 Te Dacus asper, et
 profugi Scytha: item IV Od. 14 vers. 42 Medusque et
 Indus, Te profugus Scythes. Sententiam itaque collige:
 Tu sive properaveris velut Legatus Patriæ missus ad Sep-
 tentriones (captum compede Nerea) seu ad Orientem
 (asperum Persen) seu ad Occidentem (resugum Conca-
 num) sive meridiem versus (Thracas) virtutem et scien-
 tiā tecum portabis.*

ad vers. 37. Quæ virtus Tibi erit fida comes sive
 porteris equo, seu campum perambules, seu mensæ assi-
 deas, eaque multo aliis comitibus certior: et cum hac
 aderunt Tibi *Fides, Veritas et Honos et pecunia, et*
fama solidi pectoris idem est quod Hor. III Od. 3 ver.
 4 *solida mente; hospitam* virtutem portat idem equus,
 quia illa separari ab homine nequit, eique adest ubi-
 que adeo, ut sicut illam sequuntur virtutum effectus, ita
 tibi iidem proprii sunt.

ad vers. 41. *Cana fides* eadem quæ Horat. I Od.
 35 ver. 21 et 22 *alba rara fides velata panno* dicitur.
 Virg. I Æneid. ver. 296 *Cana* item ait *fides* et signifi-
 cat antiquam fidem. De nuda veritate adeo quidem res
 pervulgata est, ut cum dedecore ævi nostri historici pas-
 sim libri soleant eam nuditatem magis quam veritatem
 legentium oculis in prima librorum pagina obtrudere;

Circumfusus honos, et sequitur prope
Albis Fama jugalibus.

quasi ea expensa hædera vinum eorum minime vendibile omnino indigeat.

ad vers. 42 et 43. *Et honos ferruginea pecuniae plebe circumfusus*, i. e. quem (honorem) plebs circumfundit, pecuniæ sonitu adcita; quæ tamen pecunia quamvis ferruginea a plebe expetitur. Virtutem non expetita, sed necessaria sequitur. Porro substantivum *honos* diversa apud auctores classicos potestate reperitur: *honor verborum* Quintil. *Frondis honor* pro ipsis frondibus, Ovid. *Sacros templis largitur honores* Valer. in Argon. pro sacrificiis. *Meritos aris mactavit honores* Æneid. 3.: potissimum *honores* defunctis vita exhibiti dicebantur, qui etiam munera, ut apud Horat. II Od. 20 ver. 24 ac *sepulchri mitte supervacuos honores* et I Od. 28 ver. 3 et 4 *pulveris exigui parva munera*.

ad vers. 44. *Albis fama jugalibus* pro *equis* velut Virg. VII Æneid. 280 *Absenti Aeneae currus geminosque jugales*: et Claud. de R. P. vers. 319 Lib. II *Emeritos vertunt ad pascua nota jugales*.

O D E X.

A R G U M E N T U M.

Ode hac imitatur noster Horatianam Libri II ultimam, sententiam Horatii sibi apotheosin pollicentis, egregie in Urbani laudes reflectens. Non nego, dandam eam esse veniam Poëtis, qui ipsi sese tanquam divinos et Entheo afflatos, summis in coelum laudibus extulissent; ut Horat Ode citata, et ultima item Lib.

III; et alibi passim: Ovidius item ad calcem Metamorphoseon; sed habet nescio quid elegantioris palati alienæ potius, quam suæ ipsius laudis præconium. Ceterum convenit cum sententia Odæ III hujus Libri.

Laudes Urbani VIII.

Non solus olim praepes Horatius
 Ibit biformis per liquidum aethera
 Vates; olorinisve late
 Cantibus, Aeoliove terras

Ad vers. 1. et seqq. Quod Horatius: *non usitata nec tenui ferar penna*, id Sarbievius: *praepes ibit Penna enim avium est, et praepes pro ave saepius, ut supra dictum ad vers. 37* Ode III hujus libri. Porro verbo *eo*, quod erat etiam supra ad versum 14, 37, 38, 64 ejusdem Odæ III Lib. hujus dicendum, utitur noster velut Virg. *It clamor coelo V Aen.* v. 451 et IV vers. 443 *it stridor. i. e. fertur. Biformis* i. est: figura humana et cycnea, *per liquidum aethera pro aetherem Horatiana verba sunt. vel olorinis late cantibus* (Hyphen figura: ut illa Virgilii; et *populus late rex*) *Cyeni*, qui iidem *Olores*, morientes canare finguntur: *Aeoliove* (ne ab *Aeolo* ventorum Deo, sed ab *Aeolia* Asiæ regione derivat:) ita enim et Horat: III Ode. 30 vers. 13 *Aeolum Carmen ad Italos deduxisse modos.... dicar* et II Od. XIII vers. 24 et *Aeoliis fidibus querentem Sappho de popularibus*, hic sermo de Alcæo et Sappho, qui uterque dialecto Æolica usi sunt. Æoli quidem Græciae populi, cum eam Asiæ minoris regionem, quæ antea Mysia dicebatur, invassissent, quasdam insuper Lesbi insulæ tenuere civitates, ac imprimis aliarum caput Mitylenen *Sapphus* patriam et Alcæi: *Aeolio itaque volatu si-*

Temnet volatu: me quoque desides
Tranare nimbos, me zephyris super

5
Impune pendere, et sereno

Calliope dedit ire Coelo.

Et qua licebit nubibus et sacrum

Vulgare coelo carmen, eburneum

10
Lyramque suspendens, tubamque

Colla super, niveisque laeves

gnificat: sic volabit Horatius et Sarbievius, ut Æolici Poëtae sublimi poëeos stylo.

ad vers. 5 et seqq. *Me quoque desides* (i. e. humili jacentes seu sedentes nimbi: non enim pigri) *tranare* (volatu) nimbos, et *pendere et cælo sereno ire dedit* (permisit) *Calliope*, velut illud de Arte Poetica Horat. 83. *Musa dedit fidibus diuos, puerosque deorum.... et libera vina referre.*

ad vers. 9. et seqq. *et* (etiam dedit mihi ire Calliope illa parte cœli) *qua nubibus et cælo licebit vulgare carmen sacrum, suspendens* (eadem Calliope) &c. *niveis plumis laeves lacertos, Hypallage pro laevibus lacertis plumas niveas supple suspendens. Nubibus et cœlo vulgare carmen, est canere carmen in Laudem Urbani eo loco, ubi et terris et cœlo exaudiri possit: nubibus terra significatur i. e. homines et cœlicolæ. Eburnea lyra ab Horatio etiam dicitur II Od. 11 vers. 22 Eburna dic age cum lyra maturet. Lyram inquit ad concinendum carmen; Tubam ad famam ejus propagandam. Suspendere de pluma proprie non dicitur, sed cum Poëta dixisset suspendere lyram super colla (pluralis pro singulari) *plumas per συνδεσμον eidem verbo effingit;* *laeves lacerti* i. e. nitidi.*

5 Plumis lacertos. Me nec inhospita
Sistent oborti litora Nerei,
Rupesve inaccessae ferarum, aut 15
Verticibus scopulorum acutis
10 Armata Tethys. Me juga Caucasi
Me canus Atlas, me mare barbarum
Lateque dejectis uterque
Audiet Oceanus procellis. 20
Ut se quieto cuncta silentio
Stravere late! Pieriae simul

ad vers. 13 et seqq. *Me non sistent*, i. e. non impedit, quominus illuc volatu ferar: *oborti Nerei* i. e. oculis meis subito objecti Nerei (Oceani) *litora inhospita*, quod saepe hospitem suum litora Nerei (pars prototo) non optime excipiat, *rupesve inaccessae (homini- bus) ferarum* (cubilia) *aut verticibus scopulorum* pro ipsis scopolis, *armata Tethys* vide supra ad vers. 11 Odæ VI Lib. hujus. *Me audient juga Caucasi* me canentem Tuas laudes, et *canus (æterna nive) Atlas* audiet, et *mare barbarum* i. e. Indicum ita enim Horat. II Od. 19 vers. 17 ubi cum de Baccho agatur, aliud mare intelligi non potest: ita interpretes. et *uterque Oceanus*: indicus videlicet idem, de quo proxime, et alter occidentalis. *dejectis procellis* i. e. stratis; *audiet*, attente non impudentibus procellarum tumultibus.

ad vers. 21. et seqq. *Ut se stravere* (pro τοῦ strata sunt) *cuncta (maria) silentio*. Sternere Horat. I Od. 9 vers. 9 et 10 qui semel stravere ventos aequore ferido depraeliantes. hic ad mare refertur quod significacione propinquiore sternitur quam ventus.

ad vers. 22. et seqq. *Amymone filia Danai*, procreavit Neptuno Nauplium Patrem Palamedis. Ea cum forte

Fontes Amymonae, et canoris
In numerum cecidere lymphis.

Doctum fluentis murmura Penei,
Sacroque Nisae e vertice tympana

25

quæreret aquam, quam Neptunus Inachō iratus exsicca-
verat, a Neptuno donata est *fonte Amymone*, in Arcadia
et palude Lärna. *Piëria* dicitur a matre *Pieria* quæ re-
ferente Apollod II. 1. 4. erat uxorum Danai numero.
Fontes, ex impactu enim tridentis tres fontes prosiluisse
traduntur Raml. Myth. pag. 27 &c. *cecidere in numerum*
(*cadere pro τοῦ labi*, quod fluviorum est) Horat de
Arte Poët. *si graeco fonte cadant &c. in numerum*
nempe harmonice ad modulos versuum. Ita Sil. Ital. IV.
Punic. ver. 560 *et remis dictat sonitum, pariterque*
relatis; Ad numerum plaudat resonantia caerulea
tonsis ubi sermo de Κελευσών, latine olim Portisculo,
ut ait Nonius: *Portisculus proprius est hortator remi-*
gum, id est; qui eandem particam tenet, quae et
ipsa portiscus dicitur. Exhortamenta ejusmodi græce
προκελεύσματα dicta, siebant aliquando carmine et musi-
cis instrumentis: unde etiam pes poëticus προκελευσμάτi-
zos constans quatuor brevibus syllabis. Ita enim Valer.
Flacc. *Sed carmine tonsas Ire docet 1 Argon. ver. 470.*
Tonsæ pro remis ubique etiamque in numerum cecidere
canoris lymphis quasi accinentibus: *murmura Penei*
ameonissimi in Græcia fluvii, qui ex Pindo Musis sacro
scaturiens per Thessala Tempe in mare Ægeum exonerat.
Ob eam ipsam causam, quod ex Pindo oritur, *do-*
ctum fluens dicitur, *adjectivo neutro pro adverbio græ-*
corum more accepto. Sicut est illud Horat. II Epist. 2
vers. 9. *Quin etiam canet indoctum:* quem hoc ver-
sum citat cum aliis sexcentis exemplis Vechnerus in Helle-
notexiade sua Lib. 1. Part. 11. Cap. IX.

ad vers. 26. et seqq. *Sacroque Nisae* (vide not.
ad vers.

- 25
 Lyraeque, buxique et remista
 Cum lituis citharisque plectra
 Fregere nubes. Hinc Tibi gloria
 Late per orbem differet aureum 30
 Urbane nomen; qua corusco
 Concuditur Jovis aula curru,
 Septemque sese sideribus pigrum
 Evolvit aevum. Protinus ultimis
-

ad vers. 28 Odæ III Lib.) e vertice fregere nubes (pro scindere, quo verbo utitur Horat. IV Od. ver. 21 et 22 *Plejadum choro Scidente nubes* et I Od. 34 vers. 5 et 6. *Namque Diespiter Igni corusco nubila dividens*) q. d. per nubes ruptas audiuntur, *Lyrae, buxi, et remista plectra cum lituis* scilicet instrumenta musica, quæ inflantur mista cum aliis, quæ plectro, pectine, vel digito pulsantur. Quantum ad Phrasin simili utitur Hor. I Od. 1 vers. 23 et 24 et *lituo tubae Permistus sonitus*. Sententiam hanc collige: Celebrabunt Urbane Tuum nomen, me canente, Amymonæ fontes, et murmuraria Penei, et musica instrumenta ex Nysa (scribitur etiam Nisa) monte Baccho sacro resonantia, illudque per orbem aureum (aureo seculo fruentem) different in eam regionem, *qua corusco* (fulgorante) *curru, Jovis aula* (cœlum) *concuditur*, (tonitru) nempe tuum nomen ferent ad meridiem mundi.

ad vers. 33. et 34. et in eam regionem, *qua septem sese sideribus pigrum aevum evolvit* id est, ad septentriones. Sunt enim ad polum arcticum stellæ septem, quæ ursam minorem, et aliæ septem, quæ ursam etiam majorem constituunt, referente Vitruvio. Porro in describendo meridie imitatus est Noster Horat I Od. 34 vers. 9 seqq. *Namque Diespiter... egit... quo bruta tellus... et atlantaeus finis concuditur.*

Afris, coronatisque Serum	35
Moenibus, Oceanoque rubro	
Noscere Magnus. Jam Tibi tinnulus	
Fert sistra Nilus, jam Berecynthia	

In septentrione vero eundem Horat I Ode 22 vers. 17
Pone me pigris ... campis quod omnes interpretes ad
 Septentrionem referunt. Pigrum ævum est hyems sive tem-
 poris, sive vite quam Claudio. in Rap. Pros. *ignavum*
ævum appellat III vers. 21 *evolvere se tardum et mole-*
stum quid indicat; ita Bardthius ad Loc. Sil. Ital VI.
 vers. 74., q. d. et ubi pigra hyems sese quasi in cubili
 suo volvit.

ad vers. 35. et seqq. Protinus (uno tenore eodem-
 que) ultimis Afris (Dativus græcus cum verbo Passivo)
 et coronatis Serum (Chinensium) mœnibus, (quorum
 Domus et mœnia istiusmodi tectis ab imo reflexis sunt in-
 structa, ut quasi perpetua aliqua corona cingi videantur,
 cuius rei argumentum vel ex imitatione nostrarum ædici-
 larum Chinensium facile capi potest) Dativi græci conti-
 nuantur. *Noscere* futurum esse versus ratio demonstrat.

ad vers. 37. *Jam Tibi tinnulus* (Hypallage pro
tinnula Sistra) fert sistra Nilus pro Ægypto in cuius
 Regionis sacris, Isiacis maxime, Sistra concutiebantur:
 quorum in antiquis monumentis formam passim videre li-
 cet) *jam Curetes crepant aera Berecynthia*, æra Bere-
 cynthia dicuntur cymbala, quæ a Corybantibus pulsaban-
 tur in honorem et in sacris *Cybeles* a Berecyntho monte
 Phrygiæ ita dicta: erant autem Curetes et Corybantes et
 Galli sacrificuli ejusdem Matris Deum: ceterum tympan-
 num maxime familiare symbolum est Cybeles, cui illa
 manu sinistra solet inniti) *jam etiam crepant rauca ar-*
ma Corybantes Crepare apud Poëtas activa significatione
denotat strepitum aliquem edere velut Stat. Gentes aera
crepant citante Trebellio in voce crepo inde contrarium

- Curetes aera, jam frementes
 Rauca crepant Corybantes arma. 40
- Te Vaticanis Maurus et Aethiops
 Affusus aris, Te tepidi canunt
 Devexa mundi. Te remotae
 Litora personuere Chrysae;
-

discrepare non convenire cum aliis symphoniam musicam edentibus. Videtur Poëta noster distinguere Curetes quasi sacerdotes Cybele, qui uni alicui loco addicti erant, a Corybantibus qui Cybelen adjuverunt in celando Jove concussione armorum, porro etiam e Gallis, qui proprie dicuntur *Metragyrtæ*, quod Cybeles simulacrum per urbes et vicos vehiculo deferentes stipem colligebant.

ad vers. 42. *affusus aris Vaticanis* (prostratus, jacens ad aras Romanas) ita passim Classici: Seu. in Oedip. vers. 71 *affusus aris supplices tendo manus*, et Ovid. VIII Metam vers. 539 *affusaeque jacent tumulo*.

ad vers. 42. *Te tepidi canunt devexa mundi*. i. e. illæ mundi partes, quæ ab horizonte nostro vel æquatore sunt declives, quæque ad antipodas vergunt: ex quo loco mundus est calidissimus, quod hic per τὸ *tepidus*; ceterum adjективum plurale pro adverbio, græco more veluti: βαρέα στενάσων Oppian in οὐνη vers. idemque ὀξέα πεπλήγοντες acuta frementes. et Virg. III Georg. 500 pede terram *Crebra ferit*: Stat. III Theb. 222 *Vultumque obliqua madentem*. Confer præterea Horat. I Od. 27. vers. 21. *Me quoque devexi rapidus comes Orionis Illyricis notus obruit undis et Sil.* Ital. VIII vers. 362 *celso devexa jugo* (urbs).

ad vers. 43 et 44. *Te remotae Litora personuere Chrysae*, ita dicebant Græci regionem, quam ignotam ex Indorum sermone audiverunt Gangi sinistro adiacere, et auro ditissimam esse. Alii insulam esse solidi

Magnusque late diceris arbiter, 45
 Coelumque, Terrasque, et Maria et Styga,
 Amnemque Cocytii severum, et
 Elysiam cohibere Lethen.

auro concretam fingeant oppositam ostio Gangis, vel Indi fluvii Plin. VI v. 21. Neque vero prorsus conficta putanda ea regio est. Videntur enim Indi eo nomine diverses oras Bengalici sinus indicare voluisse. Ptolemaeus in sua Geographia oram ejus orientalem describit. Vide Geogr. Mannerti V. I. personare activa significatione, ut apud Ovid. VI Met. v. 102 *Musae quoque canora personabant* et Horat: I Epist. 1 vers. 7 *Est mihi purgatam crebro qui personet aurem, personuere præteritum in præsenti, pro personant Tuum Nomen.* Collige sententiam hac ratione; Noscent Te Urbane: Africa occidentalis (Afer) Sinensium regio (Serum) Ægyptus (Nilus) Phrygia (Curetes) Creta (Corybantes) Mauritania (Maurus) Æthiopia (Æthiops) Abyssinia et reliqua Africa et Asia meridionalis (devexa mundi) India orientalis (litora Chrysæ).

ad vers. 45. *Arbiter Judex* est non a lege datus, sed ab iis, qui litigant; electus, qui totius rei habet potestatem, dictus ab *arbitrando* i. e. existimando: ejus namque est judicare, non ad summum juris rigorem, sed prout ipse æquum esse existimat, *Judex* vero ex officio juris dicendi nomen traxit. *Arbiter* etiam dicitur *Princeps*; sic Deus arbiter orbis audit, ut apud Senec. Herc. Fur, vers. 582 de Plutone: *Tandem noctis ait, vincimur, arbiter.* Hic fit allusio ad illud Euangelistæ: *Tibi dabo claves regni cœlorum: diceris cohibere, cohibere principum est, valet enim idem ac refraenare, contineare præcipue, eos, qui contra leges aliquid moliuntur.* *Cohibent pugnare leges* Cic. pro Roscio Amerino. *Hortatio Diana* dicitur *cohibere Lyncas et cervos arcu vulnera-*

Tibi (benignae si qua fides spei)
 Sternentur olim magnanimae ad pedes 50
 Gentesque Regesque. O caduci
 Praesidium, columenque mundi,
 Jam nunc labantis pondera seculi, et
 Depraeliantum funera Principum

rans et in venatione occidens. IV 34 vers. Idem Horatius
 ait *non se unda Stygia cohibitum iri* II Od. 20 vers.
 8. Tu Urbane cohibus, (regis) Cœlum, &c. et Styga
 &c. imperium enim obtines morale in *cælum*, cum illud
 claudis vel aperis; in *Terras*, quarum Leges Religionis
 tueris, *Maria* cum suis insulis, et *Styga* vel *Cocytum*
 duos fluvios infernales pro ipsis inferis, seu eorum prin-
 pibus Diabolis, quos *cohibus* vel quibus imperas, sicut
 etiam fluvio *Lethes*, qui medius est inter infernum et Ely-
 sium Campum quod scribit Virg. VI Æneid. *Seclusumque*
nemus... *Lethaeumque, domos placidas qui praenata-*
tat, amnem. Inde *Elysia Lethe*, sicut severus *Co-*
cycli amnis Virg. III Georg. 37 et 38 *Invidia infelix*
Furias amnemque severum Cocycyi metuet &c. pro tri-
 sti et lento.

ad vers. 49. Ovidianum *Antiquae si qua fides*
rei Sarbievius loco adaptans (benignae si qua fides spei
q. d. si modo fidere spei licet, vel nisi me spes fallit.

ad vers. 51. *Caducus mundus*, seu casui propin-
 quus, vel *cadens*, ut passim *fulmen caducum* dicitur
 i. e. deciduum. *Praesidium* propria potestate militum est,
 castra vel locum aliquem defendentium, sicut *Subsidium*
 militum recentium in locum fessorum successorum. Re-
 cete etiam hic pro Defensore accipi potest, sicut apud
 Horat. I Od. 1 vers. 2 et IV Od. 14 vers. 43. *O tutela*
praesens Italiae.

ad vers. 53. *seculum pro Mundo Sedul. Beatus*
auctor seculi. Cetera plana sunt.

Pronasque regnorum ruinas
Consilioque humerisque siste.

55

Tardum sereni partibus aetheris
Te sidus addas; neu properes citus
Mensis reclinari, et faventūm
Ambrosiae accubuisse Divum.

60

Sero receptum Roma fleet Patrem,
Tuisque longum vivere moribus
Possint Quirites, possit ingens
Curia, Purpureique Patres:

ad vers. 57. et seqq. Imitatur hic noster Horatii Oden 2 Lib. 1 a ver. 45 ad calcem: *Tardum Te sidus addas partibus aetheris sereni* Horat. l. c. *Serius in cælum redeas* et Lucan. Lib. I ver. *Cum... astra petes serus.* Tum demum cælo sereno in sidus mutatus sedem occupabis, quod Lucan. I vers. 58 et seqq. *Pars aetheris illa sereno tota vacet nullaeque obstent: neu properes citus reclinari,* grammaticws pro *reclinare Te: mensis &c.* Quod Horatius: III Od. 3 vers. 11 et 12 *Quos inter Augustus recumbens purpureo bibit ore hectar: pro nectare Deorum potu, noster ambrosia pro Deorum cibo. faventum pro faventium.*

ad vers. 61. et seqq. *Serius receptum i. e. ademptum sibi a Deo, fleet &c.* quod Horat. l. c. *Laetus intersis populo Quirini. Tuisque longum* (vide not. ad vers. 62 Odæ III lib. hujus) *vivere moribus* (sicut dici solet: *more meo, Romano more*, nam si mores hic existimarentur *virtutes* carere præpositione non posset) *possint vivere ita dictum ut apud Horat. Carm. Secul. ver. 7. Possis nihil urbe Roma Visere majus. Patres Purpurei dicuntur Ecclesiæ Romanæ Cardinales.*

- 5 Diuque gaudens , et cupidus Tibi 65
 Incumbat orbis : certus ames Remi
 Urbemque prolemque : ac merenti
 Quanquam avidus Tibi debet aether ,
 Reposce Divos praemia lentior ,
 60 Paulumque differ sidera , dum Tagum 70
 Dum Baetin , undantemque bello
 Eridanum Ligerimque places ;
 Dum fracta septem cornua montibus
 Submittat Hebrus , dum Tibi Thessalum
-

ad vers. 65. *Diuque gaudens* (liber a tristitia) et *cupidus* (optime Tibi cupiens) *Tibi* ad proximum refer *incumbat* ut sit, quasi *possit Tibi incumbere*, nempe confidere Tibi curam sui gerenti: *certus* (præmiorum quæ te manent) *ames &c.* et *quanquam aether* (Cœlum idque pro Deo) *Tibi merenti* (præmia) *avidus* (reddendi) *debet*, Tu tamen ea *praemia Divos* (duplex accusativus verbi *reposco*) *reposce lentior* (adjективum masculinum pro adverbio *lentius* velut Horat I Sat. 3 ver. 117. *Et qui nocturnus divum sacra legerit pro noctu, et I Od. 2 vers. 45. serus in cœlum redeas, pro sero*) *lentior* comparativus sine comparatione æquivalet nostris diminutivis (nieco późnięy) (senior staruszek).

ad vers. 69. *Paulumque differ* (in tempus posterius) *sidera* (scandere) *dum* (donec) *Lusitaniam* (pro qua tota ejus pars fluvius *Tagus* (nunc *Tajo*) sicut pro *Hispania Bætis* (nunc *Quadalquivir*) pro *Italia Eridanus* (nunc *Po*) et pro *Gallia Ligeris* (nunc *Loire*) *undantem bello* metaphoræ ab exundantibus flaviis, pro flagrantem bello. *places* i. e. componas. *places* præsens conjunct. verbi *placo*.

ad vers. 73. et seqq. *Dum fracta* (lunæ turcicæ) *cornua septem montibus* (septicollis Romæ) *submittat*

Ducat catenatus Tyrannum, in
Perniciem, opprobriumque Fastus.

75

Jam tum Tropaeis et senio gravem
Aurata stellarum ad Capitolia
Longis revertentem triumphis
Signiferae vehat axis aulae.

80

Quo Musa vatem, non memor Icari,
Tollis relapsurum? his potius gravem

(in ditionem) *Hebrus* (Thracia pars pro toto) *Thessalum Tyrannum* (Imperatorem Turciæ) *catenatus* (et ipse victus Hebrus) *ducat* (vehat) *in perniciem et opprobrium fastus* (superbiæ) quæ verba ab arbore Horatiana egregie hoc translata vide II Od. 13 v. 4.

ad vers. 77. et seqq. Jam tum (tum deum) Tropaeis (monumentis victoriarum) gravis et senio et Tropaeis aurata ad Capitolia stellarum (in Cœlum) ex longis triumphis revertentem, (re in compositione sæpe valet ex, unde ejusmodi verba composita semper ablativum comitem habent, unde ex adjeci casui suo. — veheris axe (pro curru) aulæ signiferæ (coeli).

ad vers. 81. et seqq. Imitatur Horat. in Ode III Lib. III vers. 69 et seqq. *Quo me non memor Icari* (manet in metaphora copta ab initio) *Musa tollis*, ut deinde Icari exemplo relabar? *His potius ripis* (alludit ad ripas Icariae (nunc Nicariae insulæ) ubi Icarus delapsus sepultus dicitur). *gravem* (non idoneum volatu, quod gravia difficilius per aërem feruntur) *depone &c.* et *me permitte somnos ducere*, qua eadem phrasi usus est Virg. IV Æneid. vers. 560 *Nate Dea, potes hoc sub casu ducere somnos?* *languidos* activa significatio, qui scilicet *languidum* id est *languentem, lentum* reddunt; et permilte *Lyram et buxum* (Hendiadys

pro

- Depone ripis, et dolosas
 Deme humeris digitisque plumas:
 Tibrimque propter ducere languidos 85
 Permitte somnos: et super ilice
 Lyramque pendentemque buxum
 Ambiguis fluitare ramis.
-

pro *Lyra buxea*) *ambiguis* (in ambas partes agilis ven-
 to) *fluitare* (kołysać się: velut aquæ vento agitatæ).

O D E XI.

AD STEPHANUM PACIUM, MAGNI DU- CATUS LITHUANIAE SUPREMUM THESAURI PRAEFECTUM.

ARGUMENTUM.

Stephanus Pac (hoc enim proprium est Pacciorum gentis toga sagoque clarissimæ, cognomen, a Florentia Italiæ regione, ut nostri rei heraldicæ periti affir-
 mant, originem ducentis) filius fuit Nicolai Succame-
 rarii Brestensis, Regibus Stephano Batori et Sigismundo III amantissimi, et Sophiæ Palatineidis Minscensis.
 Anno 1629 Scriba et Referendarius Lithuaniae Comitiis Regni in aula Legatorum Mareschalcus præfuit;
 mox Anno 1633 Thesaurarius Magnus ejusdem Lithua-
 niæ et Capitaneus Prenensis, ultra 158000 sui peculii in patriæ necessitates profudit, de quo vide Constit.
 Anno 1635 Fol. 24, et eodem anno Cancellarius Ma-

gni Ducatus Lithuaniae et Deputatus ad Tribunal ærarii creatus est (Constit. fol. 5). Junior comitabatur regium filium Vladislaum ad exterias nationes, quo in itinere Romæ degens Sarbievio usus est familiariter. Mortuus est Vilnæ et apud FF. Carmelitas discalceatos, quibus Templum S. Theressiae dedicatum excita- verat tumulatus est. Aliam aedem sacram Monialibus ejusdem Ordinis ædificavit, quæ teste Eliseo a S. Maria Lyricorum Lib. II Od. 18, auleis et peristromati- bus elegantissimis exornata est. Ex uxore Anna Ru- domina tres suscepit filios et filias duas.

Ode itaque hæc referenda est post annum 1633 ubi jam Thesaurarius fuit Stephanus, postquam Sar- bievius Roma jam rediisset.

Equestris elegantiae jactantiam reprehendit.

Non auro neque tinnulis
Pugnandum phaleris: et chlamydum sinus,
Et nodos, et inutiles
Gemas belligeris demite brachiis,

Horatius cum ævi sui luxuriam perstringit, Bajanarum ædium moles ut plurimum solet insectari, alibi aurum et ebur in domorum ornamenti, Assyrias merces et Persicos apparatus: paucissimus est in carpendo vestium luxu, frequentior in condemnandis majorum Romanorum cœnis, et vituperada ebrietate.— Sarbievius contra unicum fere luxum in vestibus signat, qua re patriæ nostræ longe maxima frugalitas commendatur. Vests porro necessario opus erat esse pretiosiores. Cum enim ad pudicitiam et verecundiam laxiores fierent, ne

Quid laevem galeam juvat
Plumarum volucrem ferre superbiam?

fluerent oportebat eas asiatico maxime cingi et colligi, atque inde trahere aurearum picturarum, et cingulorum turcicorum elegantiam. Non enim luxuriantes opes, sed laudum potius argumenta erant boum et equorum armenta, gregesque ovium; horti non ad ambulacula molles, sed ad utilitatem fructuum, et inempta olera latiores; horrea et granaria frumentis turgida; haræ, cortes, stabula, atria non asiaticis sed domesticis vel avibus vel pecoribus plena; Domus commodæ non trabibus hymeticis, et ultima recisis Africa columnis insignes, sed inter annosarum arborum umbras opacæ; vivariorum loco, densa et non procul petenda silva. Quid autem hæc inter pudori fuerit vinaria cella, et centum annorum mulsum ex apum suarum melle decoctum? In hac Ode sugillat Sarbievius juniorum impensis militiæque tyronum vèstium elegantiorum ambitionem, in quo quam multiplex et varius, quamque facundus et lepidus sit, vide.

Ad vers. 1. et seqq. Tinnulæ phaleræ, quod sonitum edunt inientem auro vel alio metallo impactæ. *demite sinus thlamydum* i. e. chlamydbus, quæ erant pallia Græcorum juxta ac Romanorum brevia ovata magis quam rotundæ figuræ, levo humero incumbentia, quorum margo super dexterum fibula colligebatur, quales ut plurimum visuntur in signis Dioscurorum, quibusque attica juventus ab anno ætatis 18 ad 20 utebatur etiam domi, quod militaria jam incipiebat obire munia in Urbe. Nigri olim coloris, deinde albi gestabantur, ut scribit Artemidorus I: 56. Militum etiam viłłosae erant ad arcendum frigus. Ait itaque noster *demite sinus* i. e. adimite prolixitatem, ut chlamydes arctae sint, neque vos pugnantes impediant, et nodos *adimite*, laxas enim et longiores vestes in nodum colligebantur, potissimum super ge-

Cur sparsas agitat jubar;
Et conus tremulis annuit Africis?
Cur tectum pavidam caput
Ementitur avem, cum leve sibilis 10

nua. et belligeris brachii *inutiles gemmas*, annulos dicatorum, armillas brachiorum, aureas praetextas vestium.

ad vers. 5. *Quid juvat laevem* (i. e. bene politam, et lœvigatam) *galeam ferre volucrem superbiam plumarum* (i. e. cristarum quæ Homeriana ætate caudis equinis Hom. Iliad. III vers. 336, deinde pennis avium, præcipue rubris constabant Æneid. IX vers. 50. 271. 808. Crista hosti detracta, spoliorum numero veniebat. Virg. VII vers. 183 in luctu cristæ deponebantur Sil. X). quasi diceret: quid prodest tibi, cum lœvis galea Tua fert superbas et volucres plumas?

ad versum 7. *cur sparsas agitat jubar?* diximus paulo ante antiquissimum cristarum genus suisse caudas vel jubar equorum. *Cur galea tua agitat jubar, velut equus superbens?* et *cur conus* (superior galeae pinna, in qua cristæ defiguntur), *annuit tremulis Africis?* nutat vertice quasi ventis colludens?

ad vers. 9. et seqq. Sententia quatuor versuum hæc est: *Cur crista simulat sibi insidere avem vivam, cum flatus auræ prodat eam esse reliquias prædæ avis rapacis, quas ipsa devorata ave minore reliquerit?* *Cur inquit tectum caput tuum,* (contentum pro continente) i. e. galea Tua, ejusque crista *ementitur avem pavidam, vivam* diximus, nam pavere animatorum est, dum enim fluctuat, pavorem præseferre videtur: *cum* interea illa crista vel per levissimum *sibilum aurarum*, *et jocum Zephyri* proditur esse *furtum* (activum) avis Mygdoniæ? *Ementitur* verbum deponens notum, passiva significacione (non tamen hoc loco). *Quam stulte conficta, quam aperte ementita sunt?* Cic. II Phil. 35 et II Nat.

10
os di-
stium.
poli-
biam
caudis
vium,
. 808.
Virg.
quasi
rt su-

iximus
caudas
velut
pinna,
nutat

versum
1, cum
pacis,
uit te-
e. ga-
n, vi-
i enim
ea illa
jocum
doniae?
nisica-
ficta,
II Nat.

Aurarum et zephyri joco
 Furtum Mygdoniae proditur alitis?
 Jam grando chalybum imminet,
 Telorumque frequens aura volantium

Deor. 21. Cum accusativo velut hic, habet etiam Virg. Eclog. IV vers. 42. *Nec varius discet mentiri lana colores.* τὸ *leve* adjectivum est conveniens substantivo *furtum*. (i. e. pluma hæc) *sibilis aurarum* (Virg. Eclog. 5 vers. 82. *Nam neque me tantum venientis sibilis Austri*). Avis Mygdonia dicitur avis quaecumque rapax et carnivora, quæ avium minorum furt s vitam degit. Locum hunc Claudiani vers. 408 Lib. II in Entropium explicat, qui est hic: *Infaustoq; jubet bubone moveri, Agmina Mygdonias mox impletura volucrē;* ad quos versus Bardthius: *Pabula daturos dicit milites vulturius in Phrygia.* Porro hic in Claudiano de *Mygdonia* non *Macedonica*, sed *Phrygica* sermo est. In Sarbievio pro vulture quoconque. Est autem Mygdonia prior littoralis regio *Macedonica*, cum Urbe cognomine, ubi Niobe cum filiis et filiabus ab Apolline et Diana sagittis interempta fertur, referente Herodoto Lib. 7 p. 221. Posterior, ut Solinus scribit, est ea *Phrygiæ regio*, quæ *Troadi* superjacet.

ad vers. 14. et seqq. Sed *jam grando chalybum* (*fistularum pyriarum*, quas singulas singuli milites gestant (*karabin*) *imminet*, q. d. *jam jam prælium initur*, et *telorum volantium* (*plumbeorum globulorum*) *frequens aura* i. e. *appulsus*, vel *micatio insonat galeae* i. e. *sonum edit in galea tua imbelli*. *Jam tonitru* (*tormenta, armaty*) *Martis mugit et obvium est tibi fulgur acinacis Medi* quas duas voculas Horatius etiam I Od. 27 v. 5 et 6 secum conjungit, cum ait: *Vino et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat.* Est Persarum ha-

Imbelli galeae insonat: 15
 Jam Martis tonitru mugit, et obvium
 Medi fulgor acinacis.
 Quid prosunt phalerae? quid galeae jubar?
 Quid laetae Zephyris comae?
 Aut umbo clypei quod procul aemulis 20
 Lucem solibus invidet?
 Quid vultus nimium sedulus adspici?
 Quid pictus pharetræ timor?

sta pariter et ensis ex Hesychio et Suida Περσικὸν ξιφος ἀκινάκην καλέουσι Herodot Lib. 7. παρα τὴν ἀκὴν ob murronem scilicet et cuspidem. Erat igitur acinaces et sagaris Persis et Medis proprius, sicut pilum Romanis, gesa Gallis, gladius Lacedæmoniis, sarissa Macedonibus, lancea Hispanis, falarica Saguntinis, romphæa Thracibus, fræma Germanis, sparus rusticis, Teutonibus catejæ. Alex. ab Alex. Lib. VI cap. 22.

ad versum 19. quid laetae Zephyris comae, vel cristarum, vel capitis, quasi colludentes Zephyris.

ad vers. 20. *Umbo* (umbilicus seu media pars assurgens) *clypei* (*clypeus* vel *clypeum* oblongum est et rotundum; *scutum* quatuor angulos habet, estque convexum: *Parma* rotunda prorsus equitum, *Pelta* semi-circularis lunata Amazonum erat:) *quod* (*clypeum*) *invidet suis solibus lucem* vero soli, (soles pro splendore auri vel argenti; velut Horat. II Od. 6 vers. 18. 19 et 2 et amicus Aulon suis uvis fertili Baccho minimum Falernis *Invidet uvis*.

ad vers. 22. *sedulus* (*cupidus*, ut videatur) *aspici?* vide not. ad vers. 51 I Clæ lib. hujus, alibi noster *sedulus* metae intentus ad eamque pertingendi *cupidus*.

ad vers. 23. Quid pictus pharetræ timor? ita dictum, ut apud Martial I Epig. 56 vers. 5. Quisquam pi-

Aurum frenigera rejice dextera:
 Ferro res eget et manu,
 Et magnis animis. Haec tuleris tria,
 Dicam Geryoni parem,
 Quem nec populifer proruat Hercules,

cta colit Spartani frigora saxi! per Hypallagen *Frigora picta saxi*, pro τοῦ *frigora picti saxi* ita etiam hic: *timor pictae pharetræ?*

ad vers. 24. *Rejice aurum* (annulos et armillas) *frenigera* (adjectivo hoc usus est ante nostrum Statius V Sylv. I vers. 98. *Quisnam frenigerae signum dare dignior alae?*) *dextra* ablativus est, causam vide Ode præcedenti ad vers. 77).

ad vers. 25. *Ferro res eget* (opus est rei ferro) ut apud Horat. I Epist. 18 vers. 67 *si quid monitoris eges tu.*

ad vers. 26. *tuleris* (impersonalis, ut ajunt, syntaxis, vel imperativus *tuleris* pro *fer* vel *affer*).

ad vers. 27. *tum vero te dicam Geryoni* (Regi illi Hispaniae, quem Horat 11 Od. 14 vers. 7 *ter amplum*, Virgil. VIII Æneid vers. 202 *tergeminum* et 1. Declinationis *Geryonae*, et VI Æneid. vers. 289 *tricorporem* faciunt, vel quod habebat trium insularum regnum, vel ob trium in regno fratrum concordiam, ab Hercule interempto) *parem* (non inferiorem bello) velut Horat I Od. 6 vers. 15 16 *ope Palladis Tydideum superis parem*, qui Diomedes Tydei filius Martem et Venerem vulnerasse singitur Homero).

ad vers. 28. *Populifer* (ex inferis regressus Hercules populea corona caput cinxit). Porro verbo *proruus* est item potestate eadem Horat IV Od. 4 vers. 66. *proruet integrum cum laude victorem* (i. e. debellabit).

Nec coelo nimius Mimas,
 Nec dura Idomeneus, aut Sthenelus manu. 30
 Bellis adsit idonea
 Incomtae facies lege ferociae
 Quam fuci decor abstinent
 Lascivaeque carens forma proterviae,

ad vers. 29. Cœlo nimius (formidolosus, velut Vellej. Lib. 11 cap. 32 *nimius reipublicæ liberae vir*: et Tac. in Agric. cap. 7 de legione vicesima: *Legatis quoque nimia et formidolosa erat*). Mimas Gigas qui cum insulam Lemnon in Martem ejaculaturus esset, pilo Martis ictus, et ope capitis Medusæ in scopulum mutatus est: quam descriptionem lege in Claudiani Gigantomachia a vers. 85 ad vers. 105.

ad vers. 30. Idomeneus et Sthenelus, ita simul etiam leguntur in Horat. IV Od. 9 vers. 19 *non pugnabit ingens Idomeneus Sthenelusve solus dicenda Musis praelia*. Ille filius erat Deucalionis, Rex Cretensium, Minois nepos, fulguri et apro in pugna comparatur ab Homero XIII. Hic *impavidus et pugnae sciens* dictus ab Hor. I Od. 15 vers. 24 et 25 comes erat Diomedis.

ad vers. 31 et seqq. *Bellis adsit idonea facies lege* (secundum legem) *incomtae ferociae* i. e. juxta leges ferociae, quæ incomta pingitur, adsit bellis facies idonea, ad ejusmodi vultum non fuko illita, non solicite comta et ornata; qualis describitur ab Hor. I Od. 12 ver. 41 *incomitis Curius capillis. Ferocitas seu ferocia juvenum est*, inquit Cicero, *gravitas senum*.

ad vers. 33. et seqq. Quam faciem notet (huc assumme ex versu 36) decor fuci abstinent, decor Martius, qui abhorret a fuco: quem item notet *forma carens lascivæ proterviæ* (venustas, in qua nihil est lascivum, nihil ex ludo Veneris;) *abstinent* cum genitiyo frequens, velut

Horat.

Et ferri memores genae,
Hesternique notent vulnera praelii.
Cristae non facient virum
Non arguta suis colla corallii.

35

Horat. IV Od. 9 vers. 37 et 38. *abstinens ducentis ad se cuncta pecuniae; etiam dareo cum genitivo sed rarum est: Terent in Heaut. 11. 3. 19 Carendum Tui est.*

ad vers. 35. seqq. *Quas ferri memores (cicatricibus insignes) genae notant, et vulnera hesterni praelii, i. e. heri eum ex prælio excessisse, et hodie in aliud esse promptum et paratum.*

ad vers. 37. Seneca in Thyeste vers. 345. *Regem non faciunt opes, Non vestis Tyriae color, Non frontis nota regiae, Non auro nitidae trabes.*

ad vers. 38. *arguta*, eleganti epitheto, quod coralium quo primum contigit auras Tempore durescit, mollis fuit herba sub undis Ovid. Colla igitur *arguta* significant sonantia seu sonum edentia, suis quæ illa circumdant, coralliis Diaplasiasmus *roū l.* scribitur enim *coralium a. brevi.* Syllaba etiam prima longa alias brevis reperitur; non tamen r duplicatur. Huc facit locus Sidonii Carm. 11 vers. 110 *Lactea puniceo sinuantur colla corallo* A viris gestata fuisse Plinius auctor est Lib. 32 cap. 11 cuius verba habeto: *auktoritas baccarum (curalii) non minus Indorum viris quoque pretiosa est, quam feminis nostris uniones Indici. Aruspices eorum vatesque imprimis religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur.* In quem locum vide Solini notam, in Edit. Lips. 1788 cum Comment. variorum. recens. Frid. Franzio Tomo 8 pag. 690. ceterum refert Plinius l. c. olim a Gallis gladios coraliis, scuta, galeas adornata fuisse, quod Sarbievius etiam ad torques traxit. *Arguta colla pro argutis coralliis Hypallage.*

Thoracas Pavor et Metus
Dicuntur Siculis fingere malleis, 40
Et primi scopulis super
Procedisse vagis scuta Cydoniis.
Nos stultum tegimur caput,
Et leto tenues objicimus moras.

ad vers. 39. et seqq. Sententia est: *Pavor et Metus* (Deitates) dicuntur primi *inxisse* (constructione verbi *memini* in præsenti ponitur, quod monuimus ad vers. 15 Odæ V Lib. hujus) *Thoracas* (accusat. græcus) *malleis siculis* i. e. Ætnæis, vel in officina Vulcani, unde etiam Achillis et Æneæ prodiisse dicuntur. q. d. *Pavor* primus thorace pectus armare suasit, quod vera virtus improbabat. Idem (*Pavor et Metus*) dicuntur producudisse scuta (prima scuta Hypall.) primi (cui procedisse ? *vagis Cydoniis*. ubi ? *scopulis super*. Cydonia hodie *Cunea* sita ad mare, cui imminent scopuli, condita ab Æginetis, postquam *vagi* diu eam sedem cepissent. Laudantur vero passim a Poëtis *Cydonia tela*: velut Virg. Ecl. X vers. 59 et 60: *libet Partho torquere Cydonia cornu Spicula*. et XII Ænei. vers. 858 *Parthus sive Cydon telum immedicabile torsit* et Ovid. 8 Met. vers. 22 *Armaque equosque habitusque Cydoniasque Pharetras Noverat*.

ad vers. 43. *Nos stultum caput* (accusativus græcus est) velut illud apud Sil. IX vers. 232 *nec tectus tempora Vasco. tegimur sc. galeis.*

ad vers. 44. Virgilius simili phrasi neutrius verbi: Geor. II vers. 482 *quae tardis mora noctibus obstet*, et iisdem verbis I Ænei. 755. activi etiam VII Æn. 315 *moras tantis licet addere rebus; tenues moras, exiguae, faciles ruptu objicimus leto, ne cito moriamur*. q. d. quærimus moras longioris vitæ quamvis exiguae cum dedecore, quam illico mori honeste. Confer Horat. II Od. 11 ver. 2 et 3.

At quos eruerit sibi

45

Directis oculos invida spiculis
Mors affingere creditur.

Fatis mille loci mille patent viae;
 Sed signat jaculis locum,

Qui vultum subitis dimovet ictibus
Devotumque mori latus

Objectu tremulae protegit aegidis.

50

ad vers. 45 et seqq. His versibus latet aliqua vel fabula, vel Emblema, verba tamen per se sunt perspicua, est enim ejusmodi sententia eruenda: *Sed interim cum tu moras uectis, Mors oculos, quos sibi eruerit (σκλητὸς enim pingitur) creditur affingere spiculis, quæ in Te sunt directa:* adeo ut non mors jaculatrix, sed spicula ipsa eligant locum inferendi vulneris fatalis. Invida porro mors cur dicatur, vide vers. 62 et 63 hujus odes.

ad vers. 48. Et quamvis *Fatis mille loci, mille viae patent* ad hominem morti dandum, tamen ipse *signat locum jaculis* (scilicet ipse monstrat quodammodo in corpore suo tremente locum, quo jacula possint collinare facillime, ut ipsum feriant, scilicet tum, cum ille *vultum a subitis ictibus dimovet* et cum latus protegit *objectu tremulae aegidis* (scuti, erat enim aegis scutum vel lorica Pallados capite Medusæ insignis) q. d. cum ipse se defendit, et aliunde tegit, tum alibi objicit morti non tectam corporis partem, ubi jacula illa, oculis instructa, locum nocendi inveniant. *Devotum mori* (quod omnino, si non nunc, alio tempore morti est destinatum. Ejus participii frequens est usus apud latinos clasicos: velut apud Horat. IV Od. 14 vers. 18. *Devota morti pectora.*

Nudos bella pavent viros :
 Audentes animos ipsa volunt propo
 Declinare pericula.
 Cum consanguineae ferrea Graeciae
 Hector rumperet agmina ,
 Torvis saepe genis turbidus obvios
 Fati terruit impetus.
 Quos Fortuna timet , vitat , et acrium

55

60

ad vers. 53. *Nudos i. e. inermes vel non tectos scutis velut illud Virg. V Æneid. vers. 589. Et nunc terga fugâ nudant &c. q. d. bella et pericula timent viros fortes , eosque declinant.* Porro *declinare volunt* aliter pro suo et Horatii more dixisset *amant.*

ad vers. 56. Proxime dicta comprobantur exemplo Hectoris , qui *torvis oculis id efficiebat* , ut saepe rumperentur ferrea Græcorum agmina , et vel ipse Fati impetus frangeretur. Dicitur autem consanguinea Græcia , sicut Lucano *cognatae acies* I vers. 4 et Virgil. XII Æn vers. 40. Latinis *consanguinei Rutuli.* Ferrea item agmina , ferro armata velut Virg. IX Æn. vers. 463. *aeratas que acies in praelia cogit.* armatas ære , ut passim apud Homerum *χαλκοχύτωνες* , *χαλκεοδόρητες* , *χαλκο-*
συετῆς. Turbidos activa significatione , velut apud Horatium III Od. 3. vers. 5. *Dux turbidus Adriae.*

ad vers. 60. Repetuntur hic ea , quæ dicta sunt vers. 53-54 et 55 aliis tamen verbis. Fortuna timet fortium virorum praelia , et Mors invidet illustrem famam egregiis viris. Tu si ex acie fuderis , invitabis quodammodo Fata ad Te persequendum , et Morti viam Tuae fugae monstrabis. *Acrium mentium* (Metonymia contenti , pro continente) i. e. hominum differt *praelia* in aliud tempus , neque mox committens , vitae eorum parcit.

Differt praelia mentium ;
 Et Mors saepe viris invidet auream
 Famae pandere semitam.
 Quodsi belligera cesseris orbita ,
 Post te fata citaveris , 65
 Ostendesque neci , qua fugies , viam.

ad vers. 62. et seqq. *Invidet pandere ita etiam*
Lucanus II vers. 550 His te quoque jungere , Caesar
invideo , ubi Forcellinus : invitum Te his jungo , no-
lim Te his jungere . semitam i. e. viam compendiosiorem;
auream honoris causa.

ad vers. 64. *orbita vestigium rotarum terrae im-*
pressum. Orbita Lunae , via seu circulus ille , quem
luna circum terram intra 27 dies conficit. Ceterum hic
translate sumitur pro fine vel limite certo ; casus est sex-
tus verbi cesseris per Aphaeresim pro excesseris.

ad vers. 65. *Post te fata citabis futurum ex-*
actum pro simplici citabis i. e. vocabis velut saepiuscule
Cicero : Pergratum mihi feceris , (pro facies) si eum in
amicitiam receperis ; et si ratio versus permisisset , de-
buisset etiam ostendes , ostenderis poni , ut temperum
unitas servaretur.

ODE XII.

AD PRINCIPES IMPERII ROMANI.

De recuperandis Graeciae Provinciis.

Argumenti ejusdem est, ac superiores VI et VIII.

At non supino semper in otio
 Perdemus aevum. Surgite, **Dardani**
Cives, triumphatumque captis
 Imperium reparate **Grajis**.

Implete classes, tendite carbasa
 Inferte remos, ite volentibus

5

ad vers. 1. Ab eadem particula orditur noster, a qua Horat. Epod. Od. V cum indignatione quadam, *at* enim hic significat *utique*, *przecież*. *non perdemus*, nemus perdere vitam nostram *supino in otio* ignavo, soluto, ejusmodi enim otiosi supini jacere diu solent et sedere, Catull. Carm. 17 vers. 25. *Et supinum animum in gravi derelinquere cæno*.

ad vers. 2. *Dardani*, Romani a Trojanorum Rege Dardano: Surgite, et reparate παραινητικῶς captis Grajis (Dativ.) Græcis a Turca occupatis, *triumphatum* vide notam ad vers. 30 Odæ VI h. l.

ad vers. 6. *Volentibus Fatis* quod veteres Latini *volentibus Diis* id ubique Sarbievius *Fatis* supplet, quod semel dictum memento. *ite*, navigate ut Horat. Epod. I. vers. 1. *Ibis Liburnis inter alta navium Propugnacula*.

Fatis, Quirites, ite, ventis
 Vestra tument animisque vela.
 Est, qui locantem bella pecuniam
 Novisque rebus postulet utilem 10
 Nervum? Quis erumpentis auri
 Fluxit ager potiore vena

ad vers. 8. *tument ventis animisque vela*; *animis* non synonimum est ad *ventis*, sed animorum vestrorum fortium spiritu et afflatu. Ita germanus interpres: *Eure Segel schwelle Günstiger Wind, und der Tapferen Kampfslust.*

ad vers. 9. *Est*, omissa particula *si* (Vide Vechnerum in Helenolexiade pag. 147) nempe *Si est aliquis, qui postulet pecuniam locantem bella* i. e. qui pecuniam anquirat, qua possit conducere (nam *locare* pro *conducere* s^epe, et vice versa (velut apud Plin. Lib. VII. § 53 de Corfidio) *bella* i. e. milites, qui *mercennarii* seu *conductitii* appellantur, et *novis rebus* (gerendis) *utilem nervum pecuniam*, ita Cicero pecuniam *nervum belli* appellat Philip. V. cap. 2.: *quis ager &c.* idem est, acsi diceret: *nullus (alius) ager (regio) fluxit* (præt. in præs. pro fluit) *potiore (uberiore) vena auri erumpentis* (præ nimia copia ipsum se prodentis), ubi noster Plinium de auro in Dalmatia ultro crescente Lib: XXXIII. Cap: IV. respicere videtur, quam montes *cuniculosi Orici*. i. e. *Ceraunii* montes ad Oricum Epiri oppidum, quasi cuniculis perfossi; quo epitheto etiam usus est Catullus ad indicandam Celtiberiam metallis abundantem Carmine XXXVII v. 18.

Nusquam equidem quod sciam Oricus apud antiquos legitur, nisi arbore terebintho nobilis, ceterum de omni metallo altum silentium. Sed quoniam *Oricus* erat janua quodammodo Romanis in Græciam proficiscentibus,

Cuniculosi montibus Oriei?
 Ferro, Quirites, si lubet, abditum
 Mercemur aurum. Qui vibrati 15
 Glandibus emeruisse plumbi
 Gazas potentum sciverit urbium
 Hic magna parvo lucra paraverit
 Sumtu: nec exponetur aurum,
 Nec Tyriae Cypriaeve merces, 20
 Quas non cruentus Martis emat chalybs;
 Seu per reluctantum agmina Bistonum,

facile credere licet, Sarbievium μετονυμικῶς contento, Græciā videlicet, pro continente Orico usum esse, ut adeo omnis intelligatur auro argentoque foeta. Vide praeterea Gotofredum in sua Archontologia Cosmica de Turcia Europea: ubi ait: *Albania* quae nunc Epirum amplectitur, *ist gross, und überall fruchtbar und lustig: da sind auch von alten Zeiten her Gold- und Silberberge gewesen.*

ad vers. 14. *Si lubet* (habere) aurum, *ferro illud mercemur*, ferro Turcas pellamus, et victoria redimamus eas regiones, ubi aurum abditum est.

ad vers. 15. et seqq. Sententia hæc est: Qui sci-
verit emeruisse pro emerere gazas potentum (per Syn-
copen pro: potentium) urbium glandibus (globulis)
plumbi vibrati (ex fistulis ferreis, karabin) sequitur
apodosis: ille parvo sumtu magna lucra paraverit pro
parabit (vide not. ad vers. 65 Odæe praecedentis).

ad vers. 19 et 20. *Nec exponetur* (venum dabi-
tur) aurum (vestes et alia opera caelata), *nec Tyriae*
merces (Purpura) *nec Cypriae* (fertilis olim erat Cyprus
wini, olivae, metallis, lanae et imprimis aeris).

ad vers. 21. seqq. Comple sententiam ex versu su-
periore: Non venumdabuntur nobis merces Tyriae, nisi
illæ,

15	Et per recedentes Gelonoꝝ Vulnifico pluit aura nimbo:	
	Seu fulminatis diruta molibus	25
20	Castella densis bella tonitruis Emoliuntur, cum caduco Moenia concutientur igni,	
	Capique versis turribus annuent Arces, et omnis copia, et obice	30

illae, quas *chalybs* (gladius) *cruentus Martis emat*; i. e. depraedetur, seu id fiat fusis in acie Turcis, seu castellis et munitis urbibus expugnatis: *Seu pluit* (praesens pro futuro) *aura* (aér) *vulnifico* (globulorum plumbeorum) *nimbo* *per agmina* (instructa in acie) *Bistonum reluctantum* (Syncope) (Horat. reluctantes dracones IV Od 4 vers. 11), *seu emoliuntur* (præs. pro futuro) *bella*, (nominativus est), *diruta castella* (accusativus) quo *diruta?*) *tonitruis densis*, quibus fulminatae fuerint moles (eorundem castellorum). — Reperitur etiam tonitruus in genere masculino, secundæ Declinationis Hieronymus Epist. 61 ad Pamphach. cap. 4 *Tonitruus Gentium, flumen Eloquentiae Christianæ* Tonitrua hic significant tormentorum nostrorum bellicorum explosiones (wystrzały z armat). *Fulminatus* passiva potestate, hic quidem significat ictus globorum tormentariorum; alibi etiam ictus veri fulminis, velut Plin. II cap. 54 *Vulnera fulminatorum frigidiora reliquo corpore sunt*. i. e. hominum fulmine ictorum. *Caducus ignis* est proprie fulminis, hic tormentorum.

ad vers. 29. et seqq. Sensus est: sinent se facile capi arces, et omnis copia, et divitiæ clausæ catenis ferreis. Annuent (nutum dabunt suæ voluntatis) *turribus versis*, (eum turres evertentur) nutus fit capite deorsum ducto, quod turres casu suo significabunt; et omnis

Centum catenarum gementes
 Divitiae pedicisque ferri,
 Jam paene gazis Bactra timent suis;
 Jam dives Aule, jam Cythereiae
 Conchae, Myceneique census
 Et Tyros et Gonoëssa flavo

35

copia (pecuniarum) et divitiae gementes obice (obex, obstaculum) catenarum centum, quasi parietibus et catenis in servitute nos vocent ad sese exsolvendas (pedicae vincula pedum sunt, velut *manicæ manuum*) ferri i. e. ferreis.

ad vers. 33. et seqq. Imo jam ipsa *Bactra* (nunc Balk) paene timent suis gazis , ne a vobis auferantur, quamvis media Asia abditæ sint: et *Aule dives* (aræ Thraciae haud longe ab Hadrianopoli, ad Hæmi radices) pallescit auro flavo Dativus (pavet, ne aurum perdat ut apud Horat. I Epl. 7 vers. 7. *Dum pueris omnis pater et matercula pallet*; sicut dicitur *timeo tibi pro timeo*, ne quid mali accidat *tibi*. *Jam Cythereiae conchae* (quod fertur Venus Cythereia e concha marina orta prodiisse, supple pellescunt suo auro, cui per artem sunt inclusæ. Census item Mycenæ, (i. e. quidquid Mycenæ fortunarum habent) velut Horat. 11 Od. 15 vers. 13 *Privatus illis census erat brevis*: ad quem locum Commentator: *Exiguae tunc erant privatorum opes*: etiam Horatio dicuntur *dites Mycenæ* I Od. 7 vers. 9. supple census pallescunt auro suo, et *Tyrus pallescit et Gonoëssa* (Genoësam, quod habet stereotypa, et aliæ, reperio nupsiā, Gonoessam sæpius: velut apud Homerum Iliad. 2 Γονόεσσαν ἀπεινὴν &c. Sen. in Troad. vers. 841 *An carens nunquam Gonoëssa vento*: et Hesychius: Γονόεσσα πόλις Πελοποννήσου, dicitur ab Geographis Ætoliae civitas, ἀπεινὴ aequivalet nostro *satur v. satiatus* πεινὴ enim *fames* est, α privativum non famelicus sive *satur*. Alii aliter hunc locum Hom. legunt.

Pallescit auro. Jam prope decolor
 Albet superbis Creta coralliis,
 Phthieque et interfusa Cypros
 Ditibus ingemuere ripis.

40

Est, quem comantum gratia montium
 Aut floridorum tangit amoenior

ad vers. 37. et seqq. Jam prope decolor albet (ut paulo ante pallescit, i. e. timet) superbis Creta coralliis, ut *coralliis* dativus s't. Hypallage: *superbis* pro *superba* *Creta*, et *decolor* pro *decoloribus* *coralliis*: vel si inavis: *albet suis coralliis* (ablativus esto, et erit sensus: *Creta decolor*, pro *suis coralliis*, *albet*. sicut illud Prop. IV 3 vers. 10 *Ustus et Eoā decolor Indus aquā*. De voce *coralliis* vide not. ad vers. 38 Odae IX hujus Lib.

ad vers. 39. et seqq. *Phthieque*, error palpabilis in stereotypa et aliis, praeter Vratislaviensem 1805 quae habet *Phthieque*, illud enim cum nuspian reperiatur, nisi per y scribas, tum vero versui jambico repugnat. Phthie graeca terminatione patria Achillis, quam Virg. I Æneid. ver. 284, cum Mycenis quas modo divites dictas monstravimus, comparans, divitem etiam facit. Cum domus Assaraci *Phthiam clarasque Mycenas Servito premeret* ingemuit pro praesenti et Cypros graece pro Cyprus interfusa ripis divitibus (Dativus) a septentrione Ciliciae, ab oriente Phoeniciae, a meridie Ægypto, quae omnes opibus clarae.

ad vers. 41. et seqq. Adhuc cecinit Poëta, asserendas esse divites Regiones Graeciae, si quis pecunia et auro opus haberet ad bella et alias necessitates: ab hoc versu interrogare videtur: num quis amoenitate pratorum, silvarum, montium, rivulorum oblectari cupiat, eique mor ob oculos sistit ejus generis in Graecia jucundissima loca, quae concludit armis esse recuperanda. Quod si

Vultus viretorum, vel uda

Mobilibus Cynosura rivis?

Hunc emta multo sanguine recreent
Tempe, vel acri Pelion, aut Samos

45

est aliquis, quem *gratia* (i. e. elegantia, pulchritudo, suavitas, sic inquit Calepinus in voce *gratia*; *gratia villa*, *ciborum*, *odoris*, *corporis &c.*) montium *comantum* (*Syncope pro comantium*) passiva potestate pro *comatorum* montium i. e. arboribus obsitorum, frondes enim arborum *comae* apud poetas celebrantur; *aut floridorum viretorum amoenior* (quam in nostris regionibus frigidis) tangit (commovet, vel jucunda recordatione afficit, velut illud Virg. I En. ver. 466 *Sunt lacrymae rerum et mentem mortalia tangunt*) *vultus* i. e. externa species, velut in illo Ovid. I Met. 6. *Unus erat toto naturae vultus in orbe.* Si quem etiam tangit *Cynosura* (*Promontorium Achaja*e in ora Atticae, et mons Arcadiae de quo Stat. IV Theb. ver. 295. *Dives et Orchomenos... et Cynosura ferarum*) mobilibus rivis, i. e. si placet *Cynosura* rivis suis (Horat. etiam I Od. 7 ver. 14 *Mobilibus pomaria rivis*) qui rivi opus sunt pecori, quo *Cynosura* abundat, juxta illud Horat. III Od. 13 ver. 10 et seqq. *Tu* (sous Bandusiae) *frigus amabile Fessis pomere tauris Praebes et pecori vago;* sequitur *Apodosis ad praecedentem Protasim:* quem scilicet tangunt, vel percutiunt (quod Horat. I Od. 7 ver. 10 et 11: *Me non tam patiens Lacedaemon Nec tam Larissae percussit campus opimae*) hunc recreent empta sanguine Tempe i. e. possunt recreare (*potentialis*) hello subacta Tempe (*pluralis græcus quasi ἀπὸ τοῦ τεμπός, εօς plur. τέμπα* contractum *τέμπη* regiuncula Thessaliae in valle amoenissima, per quam Peneus fluvius decurrit, ab omnibus Poëtis celebrata, inter Larissam et oram maritimam, montibus Olympo, Ossa et Pelio cincta, vel Pelion (*Thes-*

Asserta bello, vel virentis
 Silva Cragi vel opaca leni
 Pangaea quercu: nec viridem Gnidon
 Altamque Dymen spreverit, aut retro 50
 Spissis coronatam salictis
 Olenon, umbriferaque Tricen.

saliae mons in sinum Pelasgicum incumbens, verticem habens pineto, reliquam partem querueo nemore tectam Ovid. Fast 5 ver. 382) aut Samos de qua Apulejus in Florid. II. *Frumento pigra, aratro irrita, fœcunda olivetis: ait eam nec a vinitore scalpi, sed totam ejus, quamvis frequentibus incolis, culturam esse in surculo et sarculo: Cragum Ciliciae montem viridem canit etiam Hor. I. Od. XXI vers. 7 et 8: Nigris aut Erymanthi Silvis aut viridis Cragi; hic ferunt esse Deorum agrestium antra, et incolas Cragi immortales fieri. vel opaca leni Pangaea quercu Pangæa numero pluri-ali, raro Pangæus, mons Thraciae in Macedoniae confinio, vide notam ad vers. 33 Odæ 3 hujus Lib. lenis quercus a flatu leni et miti.*

ad vers. 4g. et seqq. *Nec viridem Gnidon Cariæ urbs et Promont., ubi erat Veneris imago, opus Praxitelis, ubi et ipsa Venus colebatur Horat. I Od. 30 ver. 1. O Venus Regina Cnidi (scribitur enim etiam per C.) Paphique &c. et Ovid. X Metam vers. 531. Piscosamque Gnidon &c. altamque Dymen spreverit pro spernat: quam in extremo Achajæ promontorio sitam Larissus amnis præterfluit, teste Stephano de Urbibus; alta, quod promontoria mari imminent; aut retro spissis coronatam salictis Olenon, ibi dicitur naſa capra nutrix Jovis, unde omissa Mythologia, caprarum et salicum, quibus capræ delectantur, ferax; urbs est Achajæ. retro spissis: placzaciemi. Trica vel potius Tricca urbs Thessaliæ a Tricca Penei filia dicta. Peneus fluvius, Trica rivus ex Peneo derivatus, umbrosis arboribus prætextus.*

Non lympha Cydni, non vitreus Meles,

Lenisve puro Lydius agmine,

Non mite crystallum Lycormae,

55

Non gelidis Erasinus undis

ad vers. 53. et seqq. Negationibus omissis hæc efficitur sententia: Et Cydnus et Meles, et Lydius, et Lycormas et Erasinus eum, qui desideraverit lavare, oblectabit amne, si ex bello sumantes capillos, et pulverem tepidum, quo illinitus est, voluerit ablueret: *Lymphæ Cydni*, quam laudat Tibull. I. El. 8 vers. 13. *At te Cydne canam, tacitis qui leniter undis Caeruleus placidis per vada serpis aquis.* Meles, genitus Meletis fluvius Joniae Smyrnæ præfluens, apud cuius ripas Homerus natus Melesigenes passim appellatar. Lydius amnis appellatur Pactolus, qui aurifer est, unde etiam *lenis* dicitur, quod quasi pondere auri leniter fluere cogitur *agmen* proprie exercitus non consertus sed ordinibus Ixatis incedens; hinc *agmina juvenum*, longi ordines procedentis juventutis: *agmina caudæ* in serpentibus: *rauca agmina* de gruibus Stat in Theb. V vers. 12. *Leni fluit agmine Tibris;* quæ Phrasis antiqua etiam est, Ennius enim in 5 Annal. ait: *Quod per amenan urbem leni fluit agmine flumen.* Hæc Macrob. Saturn. Lib. 6. Ceterum Lydium pro Pactolo dici testis est Tibullus III Lib. 3. 29. *Nec me regna juvant, nec Lydius aurifer amnis:* ad quæ verba Philippus Silvius auctor editionis Parisinæ in usum Delphini Anno 1685. *Pactolum* inquit *Lydiae fluvium intelligit.* Vide Hygin. Fab. 191 et Fulgent. Mythologicon Lib. 2.

ad vers. 55. *Non mite crystallum* (*glacies ρεύος* et *contraho στέλλω*) propter gelidas aquas, ipsæ aquæ *crystallum* dicuntur, vel potius ex proverbio nostro polonico *woda czysta iak krysztal*, aquam purissimam significante, *mite* idem est ac *lene*, quod vide paulo ante

Desiderantem non bene lubrico
Soletur amni, si modo bellica
E strage fumantes capillos,
Et tepidus linat ora pulvis.

60

Est qui supina certet amystide
Obliviosum ducere Liberum?

in animadversione ad vers. proxime antecedentem 54. Hic vide sis Senec. in Herc. Oetae. vers. 587 ubi *Lycormas* (fluvius Ætoliae) cum jam tumidas, *Vere peracto*, poneret undas *Gracilisque vado* (en tibi mitem) serperet aequo, Nec præcipitem (qualis esse verno tempore solet) volveret amnem *Flavus rapido fonte Lycormas*, ad hunc locum apte describitur.

ad versum 56. Duos jam in eadem Ode errores correxiimus, alterum versu 36 ubi pro *Genoëssa* restituimus *Gonoësse*, et versu 39 pro *Phithie Phthie*, hic deprehendimus tertium et ponimus pro *Arasinus*, *Erasinus*, qui fluvius est Peloponnesi a poëtis memoratus in Argolide, per quam ex Stymphalide palude in sinum Argolicum decurrens, alicubi sub terram conditus, rursus teste Plinio, emergit. Ovid. Met. XV vers. 275. *Sic modo combibitur, tecto modo gurgite labens Redditur Argolicis ingens Erasinus in agris* Vide Paus. Lib. 8 et Strab. Lib. 6. Dicitur vero *gelidus* ex auctoritate Stat. Theb. I vers. 356. *Ruit agmine facto Inachus et gelidas surgens Erasinus ad arctos.*

ad vers. 57. *Desideranter* (omissa negatione affirmante) *bene*, nullo impedimento pedes offendente, *soletur pro solaretur* (conditionali sequente alio præsenti *linat* pro conditionali item *lineret*) *si modo pro dum modo e stage bellica* (post prælium) *linat pulvis tepidus fumantes capillos*, et *ora* (fumantia æstu).

ad vers. 61. *Est* (vide not. ad vers. 9 hujus Odæ) qui *supina* (pro *supinus*) *amystide vel poculo valde*

Hunc Lesbos, hunc vinosa Crete

Hunc Paphiae rogat ora Cypri

Laxare ferrum. Nec Rhodos abnuit

65

Nec non severi strenua Caecubi

capaci, vel bibendi genere apud Thracas et Scythes usitato: *ἀπνευστὴ* i. e. sine respiratione, *ἀμυστὴ* hiante et patente ore et rictu: apud Horatium *Threïcia* dicitur I Od. 36 vers. 14.

ad v. 62. *Obliviosum Liberum* i. e. Bacchum vel *vinum* quod etiam Horatius *obliviosum Massicum* appellat II Od. 7 vers. 21 *ducere Horat. III Od. III ducere nectaris succos*, Sensus hucusque est: *Si quis vino delectatur:* is Lesbum, Creten, Paphon, Rhodum, Naxum &c. vini boni feraces insulas et regiones a Turcis repetat.

ad vers. 63. et seqq. *Hunc Lesbos rogat seu invitat et Crete vinosa* quod Solin. cap. 17 comprobat: *Larga vitis, mira soli indulgentia; hunc Paphii* (correximus Paphiae) *Cypri ora. Paphia Cyprus* ab urbe Papho, Veneris cultu inclytâ, quæ ab rerum omnium abundantia *beata* dicitur: *O quae beatam Diva tenes Cyprum* Horat. Odar. III 36 ver. 9. Confer Ammian. Marcellin. Lib. 14. *laxare ferum* i. e. ad laxandum ferrum scilicet: ad stringendos gladios; arcti enim continentur *vagina*, laxantur exempti: quod tamen nulla auctoritate antiqua firmari potest. Statius quidem in Achilleide I. Lib. ver. 429 utitur hoc dicendi genere cum ait: *ferrum laxatur ad usus Innumeros*, ubi cetera sententia exigit, ut *laxatur pro cuditur* i. e. *extenuatur sumas*: quod etiam a nostro loco absonum non est.

ad vers. 65. et seqq. *Nec Rhodos abnuit adseri ictibus cruentis*; negationibus expunctis sensus est: Et Rhodos cupid bello vindicari, et Naxos, et Trachin, et Amathus et Edon et Aracynthus omnes hæ regiones vino oblectabunt eum, qui eas a Turcis receperit. Et Rhodo-

Naxos: nec illaudata Trachin
Aut resides Amathuntia arces

dos quidem a Virgilio II Georgicorum laudatur à vite
vers. 101 et seqq. Non ego te mensis et Diis accepta
secundis Transierim Rhodia (vitis) et tumidis buna-
ste racemis ad quem locum vide interpretes: Náxon a
vinearum fertilitate laudat Plin. Lib. IV cap. 14 Porro
strenuus, cum genitivo etiam apud Tacitum reperitur
Histor. III. 42. 6. Strenuus militiae, et significat idem
atque audacem.

ad vers. 67. et seqq. *Naxos Cycladum maxima;*
a vinearum fertilitate laudata à Plin. loco citato et Bac-
hic cum Ariadne Historiā celebris: idem de tempore
Sarbievii asserit Matth. Christophe in suo Dictionnaire
pour servir à l'intelligence des auteurs Grecs et Latins
ait: *Naxos abonde en toutes sortes de fruits, et ses*
vins conservent leur ancienne renommée. — *Trachin*
Strabonii et aliis passim casu recto, paucis *Trachis*
Phthiotidis Thessalicae Urbs primaria olim, nunc *illaudata*,
velut *arcēs Amathuntis* nobilissimae quondam, nunc
resides: nou enim ad *illaudata* trahendum τὸ nec sed
ad *nolent*, ut duæ negationes significant *volent*, *illaudata*
vero cum τὸ *resides* recte convenire videntur. Por-
ro *arcēs* significat *altas* magis quam *castella*: ἄργος enim
unde per metathesis literarum *ark* *arcis*, *altus* est; ve-
lūt in voce *Acroceraunia* pro: alta *Ceraunia* Epri
montes. *Amathus*, ut verbis Jo. Lud. Gotofredi utar,
maximi olim nominis hodie penitus in ruineribus ja-
vet, a quo olim Cyprus Amathusia dicta est. Denique
reses idis pro *residuus* velut: *aqua reses* post imbre
in lacunis reliqua, Varr. de RR. III. 17. ceterum Thessalia
uti et Cyprus vino optimo feracissimae et erant et sunt
omnium passim testimoniis congruentibus. Lud. Gotofredi
testimonia haec habes: de Thessalico Aulone (urbs est)
Gignunt, inquit, *colles tam praestant vinum, ut me-*

Nplent cruentis ictibus asseri;
 Aut, qui propinquis aethera rupibus 70
 Affectat, Edon, aut maritus
 Vitiferis Aracynthus ulmis.

*lius vix ullo in loco Europae bibatur. De Cypro vero: Excellens hic crescit vinum, quod in octogesimum usque annum aetatem ferre perhibetur; quo quidem tam longo tempore vinum Cyprium e rubro in album convertitur odoris fragrantissimi et gustus longe sua-
 viissimi.*

ad vers. 70. et seqq. Edon mons Thraciae, a quo Mænades seu Bacchantes, Edonides dictæ, quæ furore vini agitatæ, mysteria Bacchi celebrabant, quarum unam describit Luc. I ver. 683. *Nam qualis vertice Pindi Edonis Ogygio decurrit plena Lyceo.* Ubi animadverte: incrementum o breve, quod alibi longum reperias, velut apud Propert I. 3. ver. 5. *Nec minus assiduis Edonis fessa choreis:* qui aethera affectat qui altas rupes suas alto ætheri vult exæquari: velut Liv. I. c. 26 regnum affectare i. e. cupere Regnum adipisci.

ad vers. 72. *Aracynthus Mons Acarnaniæ* Plinio IV. 27 teste. Animadverte in duobus versibus his Hypallagen pro vitifer *Aracynthus maritis ulmis.* Solent vero Poetæ in vite alteri alicui arbori illiganda vel epithe-tis vel verbis a matrimonio sumptis uti. Sic Horat. no-tissima illa Ode 2 Epod canit: *altas maritat populos et II. Od. XV. ver. 4 et 5 Platanusque coelebs (vite) evincet ulmos:* et æmulus Virgilii Jacobus Vanierius in ele-gantissimo suo Prædio Rustico Lib. X. ver. 145 et seqq. *Atque ulmus cum vite pari nisi pubeat aero, Non tolerat sponsae ramos, et pondus iniquum.* Si mor-bo gravis arbor obit, vel segnior annis, Connubio tu parce novo, furcaque bicorni, *Et fixo viduam sola-re pedamine vitem.*

Est cui supellex, et vigil ignibus
Risit caminus? cui pecorum placent

ad vers. 73 et seq. Omissa particula *si* fiet haec sententia: si quis est, cui placeat supellex camini vel ipse caminus (hiemis tempore) vel armenta equorum quod significatur voce (hinnit) vel greges ovium (balant) et cui voces pecudum suarum dulciores sunt concentu Orphei: illum invitat Pleuron et Cleenæ, et Troezen et insula Cea ect. De particula *si* omitti aliquando solita, sicut in lingua germanica, hæc habet Dan. Vechnerus in Helenolexiade pag. 147. Si quandoque desideratur: velut apud Cic. Verr. III. c. 35. *Cognosceres hominem, aliquid de summo supplicio remitteres* et Hor. I. Sat. V. ver. 15. *Decies centena dedisses Huic parco paucis contento, quinque diebus Nil erat in loculis* et Terent: in Phorm. I. V. 35. *Unum cognoris, omnes noris.* — *Supellex* cujus vocis etymon sunt voculae: *super lex* quasi supra legem, vel necessitatem, dicitur enim *pellucidus* pro *perlucidus* et alibi: non itaque solam supellecilem domesticam necessariam sed abundantem, supra necessitudinem significat, ut recte dicere possis: *supellex lignorum* (der Vorrath, zasób) ita enim et retius dices cum Cicerone: *optima vitae supellex amici de amic.* 15. et *supellex oratoria* Orat. II. 19: et cum nescio quo, qui librum suum *Supellex latinitatis* inscripsit: et vel maxime ad locum nostrum quadrat: quam enim aliam supellecilem, nisi lignorum, quibus opus est camino, qui mox subjicitur, intelligeret, non video. Si alia supellex intelligenda, ubi est in versibus sequentibus urbs Græciæ demonstrata, quæ supellecili conficienda inclarerit? Omnia mox enarranda loca geographicæ silvestria sunt saltuosaque, ubi et greges pasci, et unde ligna camino suppetere possunt. Non moror, quid quid contra oggiant, qui Labeonis derivationem sequuntur, ἀνὸ τοῦ: *sub pellibus*, ubi in voce composita necesse esset

Armenta? cui late reductus

75

Hinnit ager, fluvique balant

Cantu sonori blandius Orphei?

Illum juvencis postulat hospita

Pleuron, Cleonaeique colles,

Et pecorum studiosa Trozen,

80

τὸ π δuplicari, velut in sub et pono suppono. &c. Et vigil ignibus caminus i. e. perpetuis, vel saltem frequen-
tibus ignibus caminus risit (præterit. in præsenti) et
ipsum risit pro arrisit velut in illo Horat II. Od. VI.
ver. 12 et 13. Ille terrarum mihi praeter omnes An-
gulus ridet: et ignes μετονυμικῶς pro lignis vetustis,
qualia postulat Horat: in Ode II. Epod. ver. 43. calfa-
ciendo camino.

ad vers. 75. et seq. *Late reductus conf. Horat. in*
mox laudata Ode vers. 13. aut in reducta valle &c. i. e.
late patens, hinnit ager et fluvii balant sunt μετονυ-
μικῶς pro eo, quod Virgil. III. Georg. vers. 554. Ba-
latus pecorum et crebris mugitibus annes, Arentesque
sonant ripae, collesque supini.

ad vers. 77. *Cantu sonori blandius Orphei respi-*
cit ad illud Horat. I. Od. XXIV, ver. 13. Quodsi Threi-
cio blandius Orpheo etc.

ad vers. 78. et seqq. *Comple sententiam: Qui de-*
lectatur silvis: illum postulat i. e. invitat Pleuron non
vero Pleuros, quod emendatores etiam Editiones: licet
enim dicere pro Cyprus, Cypros: pro Lemnus Lemnos, et
in aliis in us latinis, quod ex os græco nascitur; minime ve-
ro gentium ex desinentibus in οὐ velut hic: Πλευρῶν, de
qua Stat. II. Theb. ver. 727. Et reduci pateat mihi
Martia Pleuron: juvencis autem hospitam dicit, quod
Eusthat. in B. Iliad. ad vers. 146 Πλευρῶν ἐνέμοντο i. e.
Pleuronem depascuntur pro Pleuronem habitant, in-

Cæaque valles et Calydoniae
 Dumeta silvae, vel redeuntibus
 Saltata Gortyne capellis
 Cum roseus tegit arva vesper.
 Si quis virenti limina marinore
 Saxonque postes et laquearia, et

85

colunt neque Gorgos pro Gorgon Γοργών Depasci pe-
 òdum est, et ubi id sit, illuc et prata, et silvas esse
 oportet. Nam de Cleonis oppido Argolidis, non procul
 a silva Nemea dissito, nihil est, quod dubites de colli-
 bus, sed neque de Troezeniorum (non Throezeniorum
 cum aspiratione, quod passim editiones) in pecora stu-
 dia, et Ceis (non Cæae in quo etiam peccant Editiones
 pleraeque) vallibus, quippe quæ fertilissimæ pascuis pas-
 sim audiant. Diximus vero Cæae scribendum esse, non
 Cææ, est enim nominandi casu Cea græce Καὶ insula Cy-
 olas, unde adjectivum græcum Καὶος latine non aliter
 quam Ceus scribendum: Neque impedit, quominus e lon-
 gum sit pro versū ratione, pro cuius longitudine et lu-
 guæ græcæ natura et auctoritas Horatii pugnat: Habet enim
 II. Od. I. vers. 38. Cæae retractes munera neniae,
 quantitate longa. Calydonia quoque silva notissima est
 apro a Meleagro et Atalanta occiso: quærenda autem est
 in Aetolia. De Gortyna urbe Cretensi, quod noster,
 asserit etiam non nemo: Seu canis umbrosam lustrans
 Gortynia vallem.

ad vers. 83, *Saltata capellis* nil mirum: Ovidius
 enim Trist. Lib. II. vers. 494. *Saltata poemata populo*
 et *roseus vesper* a Virgil. I. Geor. vers. 252. *rubens*
 appellatur, quod est si non æquivalens, consimile certe. Non
 te pigeat, videre quæ dicta sunt ad vers. 3 hujus Odæ.

ad vers. 85. et seqq. *Si quis est, qui singat ani-*
mo limina, postes, et laquearia (sufity) et pavimentum
marmore et saxon (ablat. ortus ex effingat, quod per

Fingat pavimentum; Caryston
 Et variam Salamina justis
 Reposcat armis; huic Phrygium prope
 Baccata longis Attica collibus 90
 Descendet in tectum, et videndaे
 Porticus adjicietur aulae.

Aphæresin *fingat*: at is reposcat a Turcis Caryustum urbem Euboeæ littoralis in ora australi varii (variegati) marmoris feracem, cuius testis est Seneca in Troad. ver. 837.
An ferax varii lapidis Carystos Marmor vero viride suisse et concolor fluctibus in Statio legimus: *Et Chios et gaudens fluctus aequare Carystos.*

ad versum 89. Mutavimus interpunctionem colonis in hemicolona: *huic in Phrygium* pro Trojano et hoc pro: *Romanum tectum* (inscribitur enim Ode ad Principes Romani Imperii) descendet *Attica collibus longis* i. e. *per longos colles vel descendet de longis collibus baccatis* per Hypallagen *baccata*, i. e. obsita oleis bacciferis, Palladi sub cuius tutela erat Attica, sacris; et ex quibus collibus, imprimis Hymetto, oriebantur et dicebantur *trabes Hymettiae, quarum meminit Hor. II. Od. XVIII. ver. 3.* prope pro quodammodo: *unde scilicet ex trabibus illis Hymeticis videndaे visu dignæ aulae adjicietur Porticus.* Colles vero Atticam eingentes hi solent a scriptoribus enumerari: *Cerata* a latere Megarico: *Parnes* in Boeotia finibus, *Brilessus*, meridiem versus, *Mons Panos* ad Marathonam; *Pentele seu Pentelicos*, unde marmor illud nobile apud Cic. ad Att. Ep. I. 8, *Poecilos* ad Eleusinem, *Corydalus* ab ora Salaminia, *Hymettus* trabibus modo dictis et melle celebris, *Licabettus* et *Anchesmos* quorum prior Athenas contingebat: *Encaleus*, *Phellæou*, *Icarus*, et *Aegialeus*, continens *Corydalo*.

ODE XIII.

AD TARQUINIUM LAVINUM.

90
ur.
mar.
837.
iride
hios

Non si sol semel occidit
 Non rubris iterum surget ab Indiis;
 Nec, si quos celeris rotæ
 Sors non exiguo proruit impetu,
 Non lapsos iterum levet, 5
 Arguto docilis ludere cum joco.
 Ne spem projice Tarquini,
 Cujus paene retro lambere pulverem

Ad vers. 1. et seqq. Duplex Negatio τοῦ non pri-
 mi versūs et secundi, tertii item et quinti (nam quarti
 ad τὸ mediocri pertinet) affirmationem habet vehemen-
 tiusculam, quasi auctor dicere velit: *Si sol semel occi-
 dit* nunquid perpetuæ orbem terrarum tenebræ occupa-
 bunt? imo vero: *iterum idem surget ab Indiis* (pro
 oriente) *rubris*, qui color Auroræ est, solis nuntiæ. Et
 paulo post: *Quos celeris rotæ*, i. e. citati cursūs et hoc
 pro solo *celeris sors* (fortuna) *non exiguo* i. e. magno
impetu proruit (præsens pro futuro secundo) eos *lapsos*
iterum levet (potentialis: pro *vult*, *potest*, *levare*; *do-*
cilis (appositio ad τὸ *sors* quæ *sors docilis* est (quæ
 scit) *ludere* (homines: i. e. *fallere*) *cum joco arguto*
(sonoro vocali i. e. exibilante) de voce *argutus* vide
 quæ diximus ad versum 38. Odœ hujus Libr. XI. *Sortem*
 porro eandem esse, ac *fortunam* comprobant epitheta
 utrique dictioni promiscua: *coeca sors* Luc. Lib. V. vers.
 66. *Sors deterior* Senec. Theb. vers. 384. *sors iniqua*
 Virg. Aene. VI. vers. 332. *Signum interrogationis* ad
 calcem versus secundi et sexti, non video; cui Editiones

Et vestigia diceris.

Cum Fortuna levem verterit orbitam 10

passim apponere conentur; nisi Editores transversos agit conjunctivus *levet* quem nos potentiale diximus. Certum quidem est, ejusmodi conjunctivum locum habere solere in quæstionibus directis: sed nullum impedimentum est, quo minus etiam sine interrogatione reperiatur, cui rei mox argumento erit versus secundus proximæ Ode XIV. Caeterum Sarbievius duplice ejusmodi negatione quanto- pere delectetur proxima superior Ode multis locis comprobat, quamvis signo interrogationis non distinguantur.

ad vers. 8. *lambere vestigia spei* ita dictum est, ut apud Claud III. de Rap. Pros. vers. 253 in pulcherrima Metamorphosi Cyanæ in fontem mutatae: *Nostraque mox lambit vestigia perspicuus fons*: refertur vero τὸ lambere ad *vestigia* et ob propinquitatem etiam ad *pulverem*. Est itaque sententia: Diceris Tarquini lambere i. e. *pedentim insistere*, seu *leniter contingere*, quam significationem adjuvat adverbium paene Conf. Virg. III. Aen. ver. 574 *Attolitque globos flamarum et sidera lambit*; et Hor. I. Od. XXII. ver. 7. et 8. *quae loca fabulosus Lambit Hydaspes*. Porro retro significat *pone*.

ad vers. 10 et seqq. *Cum fortuna orbitam (rotam et συνεχδοχικῶς currum suum, pro favore) verterit* (per Aphaeresin) averterit a viro Purpurato, hunc enim significat μετονυμικῶς τὸ purpuram versus duodecimi: tum tu illum poteris cernere effusum etiam super luto fumanitem vel naturali significatione, cum calidum aliquid, quale corpus viventis hominis est, aqua mergitur, vel translatâ pro superbiente arripias, perinde est. Sensus autem est; tum adeo ipsum fortuna sternet, ut pedibus aliorum calcandum quodammodo in lutum deprimat. *Effundi equo curru obviae passua Phrases.*

ad vers. 128

Effusam stupor et luto

Fumantem poteris cernere purpuram:

Tunc et risibus abstine;

Neu turpi domino lumina paveris,

Neu calces, nimium memor

15

Fortunae geminam saepe jaci pilam.

ad vers. 12. et seq. *Tu tamen tunc abstine risibus, et ne lumina (oculos) paveris (ne pasce oculos visu) turpi domino qui modo dominus fuerat, unc soridus ex luto, et nē calcese ne calca Cum pedibus) memor (tu) fortunæ pilam geminam saepe jaci. Pila hic eadem est, atque illa; quæ legitur in Propert IV. Lib. Eleg. XII. vers. 19 et 20: Aut si quis posita judex sedet Seacis urna.; In mea sortita judicet ossa pilâ, ad quos versus Philippus Silvius haec habet: 'Alludit, inquit, ad consuetudinem Romanorum, qui sorte causas ordinabant, ac sortitione nomina judicum in pilis seu calculis et tabellis inscripta ducebant.' Alias noster pro rō pila utitur verbo alea eadem potestate; quod Latinis usitatus est.*

ODE XXIV.

AD JULIUM FLORUM.

Curam Lyncei adolescentis illi commendat:

Nullus effrenæ rabiem juvenæ

Aestus Aetnei superet camini;

Nulla conceptos jaculantis ignes

Ira Vesevi.

ad vers. 1 et seqq. *Nullus aestus Aetnei camini*
(Virg: de AEtna III. Aen. vers. 580: *ruptis flammam*

15

Crescit infestis animosus ausis
Ardor, et primae juvenile vitae

5

spirare caminis: (potentialis pro superare potest) rabiem (quae canum propria etiam ad homines transfertur: velut in illo Horat. de arte Poët. ver. 79. *Archilochum proprio rabies armavit Jambo.* juventae (juventa pro τοῦ juventus, sicut senecta pro senectus) effrenae (non bene frenatae) est autem idem, sive effrenus dicas, sive effrenis, sicut exanimus et exanimis; proclivus sive proclivis, inermus vel inermis et alia istiusmodi plurima. Porro de Orthographia verbi effrenis; quod alii Diphthongo scribi volunt, Noltenius post Cellarium, Schurzfleischium, Manut. Dausq. Lips. quos plerique sequuntur, contendit, sola vocali esse scribendum: nulla etiam *Vesevi ignes conceptos jaculantis superet scilicet illam rabiem juventutis.* De ira inanimis rebus tributa, Horat. omnium instar esto. Epod. Od. II. ver. 6. nec horret iratum mare et II. Satyr. VIII. ver. 5. Quae prima iratum ventrem placaverit esca. Vesuvius dicitur etiam Lucretio Lib. VI. vers. 745. Qualis apud Cumas lacus est, montemque Vesuvum; et Virg. II Georg. vers. 224. Talem dives arat Capua et vicina Vesovo Ora jugo: quinimo etiam Suet. in Tito cap. 8. Alii *Besbion* latine *Vesbium* dixerunt: velut Sil. Lib. XVII. 594. vers. Evomuit pastos per secula Vesvius ignes et Stat. IV. Silv. 4. vers. 79. Quodque Silius pastos id noster conceptos ignes compellat.

ad vers. 5. et seqq. Sententia est haec; *Ardor primae vitae*, qui fit animosus sic crescit ausis infestis, et robur juvenile crescit, quod robur sibi ipsi adversum dissidet armis luctuosis activa potestate i. e. luctum allaturis; velut etiam *infestis* activa significatio sumendum est, Scilicet: aliis nocentia, seu alios impotentia, ut dicitur: *infestis armis* Porro dissidet sibi i. e. nescit, quo se inclinet, vide Horat. III. Od.

**Robur adversum sibi luctiosis
Dissidet armis.**

**Sic, ubi densis Aquilo procellis
Bella montanis meditatur Euris,** 10
**Et potens igni Notus, et sonorus,
Imbribus aether,**

**Hinc repentinos struit aura montes
Inde bacchantum patiens procellarum**

VIII. vers. 19 et 20. quem locum noster iisdem verbis imitatur; ubi interpretes: *secum ipse bellum intestinum gerit.* Denique *animosa ausa*, quasi animis inflata iis ventis impulsa; per quae ipse etiam redditur animosus (odważniejszy).

ad vers. 9. et seqq. Similitudo petita a mari agitato ventis diversissimis adeo, ut dubium esse cogatur, cui potissimum serviat. *Aquilo* a Septentrionibus flans, Virg. III. Georg. vers. 196. simpliciter *densus* dicitur et I. Aene. vers. 102. adjungitur illi substantivum *procella*. Porro meditari eadem est significatione qua apud Horrat III. Od. 22. v. 7. *Verris obliquum mediantis ictum.* Bella ventorum Poëtis frequentia. *Eurus* vero ita *montanus* dicitur, sicut Virgilio III. Georg. vers. 382 *Riphaeus* a montibus *Asiae Riphaeis*. Deinde *Notus* potens igni fingitur pro *igni potens*, alias enim dicendum fuerat *potens ignis*: velut *potens Cypri*; *Musa potens lyrae*: *Bacche potens Najadum* et alibi passim in carminibus Horatii, sonorus *aether* pro *aere*, *aether* enim, qui Ciceroni est *extrema ora et determinatio mundi* de N. D. II. non habet pluvias animadvertebente Servio ad illud. Virg. II. Georg, vers. 325 et 14. quo loco hexametri finis idem est, ac Adonius Sarbievii.

ad vers. 13 et seqq. *Struere montes* Ovidia-

Ingemit litus, resonumque saxis
 Funditur aequor:
 Fervet hinc illinc inimica Tethys
 Pacis incertus dubiusque belli

15

num est I. Met. ver. 153. *Alaque congestos struxisse ad sidera montes*: neque vero mirum sit montes hic aquarum intelligit i. e. *fluctus*, cum in Virgilio I. Aeneid. vers. 109. legatur: *insequitur cumulo praeruptus aquae mons*. *Bacchari venti dicuntur*, dum flant impetuosis Hor. I. Op. XXV. vers. 11. et 12 *Thracio bacchante magis sub inter-lunia vento*; et Ovid. I. Trist. El. II. vers. 29. *Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab arcto*: *patiens procellarum*, vide not. ad vers. 51 Ode 1ae h. l. ita etiam Virg. Georg. II. vers. 223. *tellus patiens vomeris* et Plin in Paneg. 45 *patiens servitutis* (Hor. I. Od. II. vers. 43. *patiens vocari*) *ingemit litus τροπικῶς* sicut apud Ovid. IV. Met. vers. 449. *ingemuit que solum, vicinaque palluit arbos*. De verbo *tundo* plurima suppetunt in describendis tempestatibus maris exempla: velut Hor. Epop. XVII. vers. *Saxa Neptunus alto tundit hibernus salo* et Virg. Aeneid. V. vers. 125 *Saxum quod tunditur fluctibus* neque minus frequens usus est verbi *fervo*, dum agitur de mari fluctibus agitato Virg. I. Georg. Vers. 456. *omnia vento nimbusque videbis Fervere*, quod tum solet etiam in incremento corripi. De *Tethyde* vide Not. nostram ad vers. 11. Odae VI. h. l.

ad vers. 18 et seqq. *incertus pacis* velut Ovid. III. Trist. III. 4. *incertus salutis* et Liv. IV. 23. *incertus veri*: *dubius belli* velut Luc. VII. vers. 611 *dubius fati*: *incertus fingitur pontus*, quasi nescius, *pacem ne servet*, an bellum etiam moliatur, vel denique cuius venti se adjungat factioni: hoc enim *militares undae* significant, cuius videlicet militia sequatur; verbum autem *instruendi* translatum ab *instruendis aciebus*. Conf.

Fluctuat pontus, cui militares
Instruat undas

20

Mollior laesi tamen ira Ponti
Lenior motis Aquilo procellis
Puberum, Juli, quatiente coecas
Turbine mentes.

Hic ubi pugnax equitavit Auster,

25

Incitae remis volitant carinae,

Prosperi. Lib. IV. Eleg. I. vers. 135. et seqq. ubi *castra*
et *militiam* alio translatam leges, et *militiam* pro obse-
quio ponи persuadere.

ad vers. 21 et seqq. Quamvis, inquit, nihil sere
potest comparari ad vehementiam Ponto incumbentibus
ventis aestuanti: tamen *rabies effrenae juventae* ve-
hementior est, quam *ira Ponti* a ventis *laesi* cur? Mare
enim fluctuans paulo post tranquillum redditur ut naves
illud tuto repetere possint: sed *ardor juvenilis vitae* raro
admodum sedatur et compescitur, simul ac impietas et turpis
avaritia dominatur. *Ira Ponti* vide vers. 4 hujus ipsius. Odae.
Lenior est *Aquilo procellis*, quam *turbo* *quatiens*
montes coecas *puberum* Ovid. Nescio quo miserae
turbine mentis agor. ubi *turbo* pro *impetu coecae* nil
providentis mentis, metaphoris a vento et oculo ad ani-
mum agitatum ductis.

ad vers. 25. et seqq. *Pugnax* idem dicit ac Virg.
Luctantes ventos, tempestatesque, etc Aenei. I. Od.
III. vers. 12 et 13. *Africum decertantem Aquiloni-
bus: equitavit*, ita etiam Hor. IV. Od. IV. vers. 43 et
44. *Eurus Per Sicas equitavit undas: incitae i. e.*
veloces pro *incitatae* ita Luer. VI. vers. 136. *Validi
vis incita venti: facilis veli cum genitivo velut apud*
Claud. in Laud. Seren. vers. 54. *Dives equis, facilis
frugum, (felix segetibus) pretiosa metallis, intelligit*
tempus serenum, cum facile vela possunt tractari, et in

**Qyas leves aurae, facilisque veli
Trudit Japyx.**

**Quae semel certo metuendus arcu
Fixit aut recti timor, aut cupido
Rara pacatis agitata sidunt
Pectora curis.**

**Fortius pugnes juvenum domando
Spiritus, quam si juga feriatis**

30

quamcunque partem tendi: denique *Japyx* ventus pro quo cunque alio saepe sumitur, estque id in usu maxime Poëtis latinis, quod hic ventus secundus erat navigantibus ex Italia in Graeciam, et Asiam. De quo Horat I. Ode III. vers. 4. animadverte trium syllabarum esse το Japyx. *Trudit* impellit.

ad vers. 29 Substitue: *Ea pectora*, quae semel (pro: postquam jam) *certo arcu* (Virg. XI. Aen. vers. 767. *certam quatit improbus hastam*) imitatur noster Horat. I. Od. XII. vers. 23 et 24. *metuende certa*, *Phoebe*, *sagitta*; ubi *certus* significat nunquam a scopo aberrantem arcum: *fixit Timor recti* i. e. obduratus ad omne nefas animus, qui horret ea omnia, quae recta sunt, uno ut nomine complectamur: *impia* et *Cupido metuendus* genere masculino, quod saepe Horatius, avaritiam autem interpretes exponunt: tum vero *rara* per Hypallagēm pro raro *sidunt ejusmodi pectora* metaphora sumta ab avibus. quae *sidere* dicuntur, cum ad quiescendum ex aere zel in arborem vel in terram devolant, velut Vig. VI. Aen. vers. 203 *gemina super arbore sidunt*; in genere significat: *deorsum tendere*, hic translate *conquiescere* Ait itaque noster: Raro ejusmodi pectora conquiescunt, postquam agitari coeperunt curis impietatis i. d. conscientia male factorum et Cupidinis i. e. divitiarum indipiscendarum.

Induas tauris, vel equina Poeno
Frena Leoni.

30 35

Jure florentes moderaris annos
Lyncei: duris merito lupatis
Corripis frenum, spatiique parcum
Flectis Ephebum.

40

ad vers. 33 et seqq. Agnosce imitatem Horatii, qui II. Od. II. vers. 9 et seqq. iisdem sere verbis describit difficultatem domandae avaritiae, et excellentem gloriam, quam ii mererentur, qui eam avaritiam compescere scirent. *Pugnes fortius Horatius Regnes latius pro fortius pugnat, latius regnatur Spiritus numero plurali aequivalet ad elationem animi, superbiae velut Cic. pro Syll. cap. 9. Res enim gestae, credo, meae me nimis extulere, ac mihi, nescio quos spiritus attulerunt: et Curt. Lib. V. cap. 8. Nobilitate vestra dignos spiritus capiatis ubi vide spiritus etiam in bonam partem sumi: seriatis i.e. diu otiantibus ab opere: Poenus pro Africanus.*

ad vers 37 et seqq. *Jure itaque i. e. merito moderaris cum accusativo idem est ac dirigere, cum dativo idem ac temperare. moderamur musicos numeros, et animis quod utrumque Ciceroniatum est: corripis non est simplici significatione pro manu corripis sed quasi ex omni parte contines, et ad te rapis frenum (krótko trzymasz) lupata sunt frena asperiora instar lupinorum dentium, quae etiam lupi dicebantur: duris etiam Ovid. habet Trist IV. El. vers. 4. Et placido duros accipit ore lupos. Habuit noster ob oculos Horatii I. Od. VIII. vers. 6 et 7. Gallica nec lupatis temperat ora frenis.. Malim etiam pro corripis temperas posuisse, sed videtur voluisse imitari Ovid. II. Fast. 526. nunc ipsas igni corripiuere casas: spatii parcum i.e. non permittis eum latius vagari.*

O D E X V.

AD EQUITES PÓLONOS.

*Cum LADISLAUS Poloniae Princeps, fuso Osmano
Turcarum Imperatore victorem exercitum in
hyberna reduceret.*

A R G U M E N T U M.

Haec illa victoria est, cuius post hominum memoriā celeberrimae, auspiciis Sigismundi III. Poloniarum Regis, ductu Joannis Caroli Chodkiewicz Supremi Exercituum Lithuanorum Ducis primum, deinde ipso aetate et fatigatione mortuo, Stanislai Lubomirski Supremi Exercituum Polonorum Ducis ad Chocimum Anno 1621 reportatae memoria Officio Divino et Missa votiva ab omni nomine Polono quotannis 10 Octobris celebratur. Aberat tum Rex ipse Sigismundus Tartaris a finibus regni arcendis intentus, Lithuaniae a Suecis cavere sibi coacti, domi detinebantur: Poloniae Majoris nobilitas congregata ad Vistulam vix pervenerat, cum ad Chocimum Poloni parva suorum manu quotidianis praeliis victores Osmanum ita denique vel fregerunt vel terruerunt, ut numero multo superior, itemque bellico apparatu pacem peteret. Aderat in castris Vladislaus Regius Princeps, sed ita, ut inter illa rudimenta rei militaris nihil ageret ipse pro se, quo vel minimum impediret supremorum Ducum imperia, quinimmo exemplo parendi omnibus praeiret. Ipso itaque composita

posita pace, exercitum ad hybernia deducente, haec
ode scripta est, ut titulus praefert.

Credetis? io credite posteri;
Fractos pudendo Bistonas impetu
Cessisse, et infaustis redemptam
Funeribus pepigisse pacem:

Quis tunc recentes Odrysii timor
Affixit alas, cum refugas metu
Prae se LADISLAUS phalangas
Fulmineis agitaret armis?

ad vers. 1. Delectatnr noster ejusmodi interrogatio-
nibus et responsionibus, quas Rhetores *Complexio-*
nem appellant. Conf. Odae VIII. Strophen VII, et VIII:
et Horat. III. Od. IV. vers 5. Jo exclamatio triumphum
celebrantium est, velut ex Horatii IV. Oda II. versu 49
et 50 appetet. *Credite posteri* utraque vox conjuncta
reperitur item apud Hor. II. Ode XIX. ver. 2.

ad vers. 2. et seqq. Bistonas (gens Thraciae pro-
xima Constantinopoli pro Turcis) *pudenda vulnera*
Virg. XI. Aen. vers. 55. dicit, quae pudorem afferunt; et
pepigisse pacem redemptam infaustis funeribus ita
Virgil. etiam fratrem Pollux alterna morte redemit
VI. Aen. 121. vers. funeribus (i. e. caedibus; passiva
potestate.)

ad vers. 5. et seqq. Odrysii (Gens Thraciae Hebrei
amnis accola: pro Turcis) *timor affixit alas*, quod et
Virgil. VIII. Aen. vers. 256. *pedibus timor addidit alas*:
fulmineis armis sic etiam Virg. IV: Aen: vers. 580. *ensem*
fulmineum vocat, et idem repetit IX. Aeneid. vers. 442,
quod nostris armis magis competit, quam romanis ob iguem
ex tormentis nostris emicantem.

Quantus Gelonis quantus erat feris

Sudor Corallis, quum prope decolor

10

Ister, verecundusque capta

Bosporus erubuisse unda !

Cum versa Thracum parma trementibus

Fronderet hastis, cum celer Artacem

ad vers. 9 et 10. Imitatur noster Horat. I. Od. XV. Vers. 9 et 10. *Eheu, quantus equis quantus adest viris Sudor! Coralli Populi pontici, immanitate insignes.* *Ister* Danubius inferior *decolor* sanguine scilicet, velut Ovid. IV. Trist. Eleg. II. vers. 42. *Decolor ipse suo sanguine Rhenus erit.* et Horat. II. Od. I. vers. 34 et 35. *Quod mare Dauniae Non decolorare caedes?* *Bosporus* *verecundus* i. e. pudore suffusus, quod captus Turcis servit, *erubuisse*, quem ruborem ei communicassent undae Euxini Ponti, rubentes et ipsae aquis Danubii sanguine tinctis. Vide notam ad Od. VI. vers. 18. Ceterum, *Bosporus* etiam *Bosphorus* scribi solet, utrumque recte, nam prius a verbo graeco πορφύρα pertinseo et βόσις bos quod bos illac Pontum tranare potest: posterius a Φέρω fero, unde φέρος, a qua voce plurima alia in phoros latina civitate donata: φωσφόρος Phosporus, amphora, Christophorus.

ad vers. 13 et seqq. Vide vero locum a doctis nostri seculi viris exagitatum. Volunt enim pro τον fronderent substitueri, frenderent, et sonum dentium iratorum trahunt ad parmag trementibus hastis (pulsatam) quid enim aliud Ablativus velit? Mihi sine ullo verborum tormine sufficit scisse morem veterum, cum receptui caneretur, solitos suisce, convertere in terga, unde periculum imminebat, scuta sua seu arma corpus tegentia. Fingit vero scuta illa, quae parmas (parmae enim re-

Turresque Byzantii probrosis
Concanus assonuisset armis.

15

tundae equitum erant) vocat, infixis (a Polonis instantibus) hastis, et sagittis, effigiem frondentium quodammodo exlibuisse, quod tum imprimis magis vero simile appareret, si parmae illae humi depositae, hastas illas horrentes ex sese gignere viderentur, velut arbores ex terra nascuntur. Maxime vero hanc interpretationem adjuvat adjективum *tremenſibus*; hastae enim cuspide fixae, cetera sui parte contremiscunt, dum scilicet, a fugientibus portantur parmae dorso impositae. Cumque hastilia e ligno (et corneo quidem potissimum) fabricata fuisse sciamus, ipsa metaphora non admodum longe petita censemitur. Confer Odiae ultimae libri I. vers. 7. ubi verbum *frondescendi* iterum renascitur. Victoriam denique nobis assert Luc. Lib. VI. vers. 205. ubi sic ait: *densamque ferens in pectore silvan.* Nihil enim aliud illic intelligitur, quam peetus sagittis et *hastis horridum*, quod noster Iucanum imitatus *frondendi* verbo, elegantissima sane pictura est subsequutus.

ad vers. 16. *assonuisset turres cum accusativo insolitum* quidem videtur, sed legenti Lib. II. Cap. III. Sanctii plura ejusmodi verba obvia sient, quae quamvis neutra sint, composita tamen accusativo junguntur. E quorum numero verbum *assono* est, quamvis illud quidem a Sanctio praetermissum, auctoritate tamen Apuleji Medaurensis, quem idem Sanctius purissimum *latinae linguae scriptorem* Libro III. Cap. XIV. circa finem laudat, comprobatur. Is itaque *concentus suaves assonare* ait quidem, sed quid id ad nostrum locum? Videtur noster voluisse atque etiam maluisse uti verbo *circumsonare*, nisi metricae leges impeditivissent; esset enim et sententiae accommodatius, et passim etiam apud auctores optimae notae occurrit; velut apud Virg. VIII. Aeneid. vers. 474. *Hinc Rutulus pre-*

An nos repensam sanguine gloriam
 Frustra futuris emimus? An suos
 Exempla diffingent nepotem
 In proavos, similemque patri 20
 Gnatum reponent? Quatenus (heu pudor!)
 Pejor nefastis progenies avis

mit et murum circumsonat armis. Quod etiam in Cicerone de Off. III. cap. 2. et Ovid. V. Trist. Eleg. III. ver. II.

ad vers. 17. et seqq. *Nos illi ipsi sunt fortes viri,* qui initio hujus Odæ interrogarunt: *Credetis?* *io credite posteri:* iidem narrata turpi fuga et cæde Turcarum, victoria item sua nobili, nunc denuo interrogant: *An nos repensam* (ita Horat. II. Od. V. vers. 25. *auro repensus miles*) *sanguine gloriam frustra futuris* (posterioris: Horatius id ipsum III. Od. XXIV. vers. 30 *clarus post genitis et I.* Od. XXVIII. vers. 31. *Post modo te natis* (*eminus?* (perfectum est) *Inque eodem dubio,* quo interrogaverat *Credetis?* in eodem quæsivit: *An frustra nos fuimus fortes?* Pergitque *An diffingent* (verbum Horatio familiare, I. Od. XXXVI. vers. 39 et III. Od. XXIX. vers. 47.) *nepotem in suos proavos q. d.* *An vos nepotes exempla nostra pertrahent,* ut ex inertibus fatis nobis proavis vestris, et filii suis parentibus similes? Hac enim ipsa significatione verbo *repono* usus est Horat. II. Od. V. vers. 30. *Virtus non curat reponi* *deterioribus i. e. non vult,* ut in locum suum deteriores succedant. Ita Sarbievius interrogat: *an exempla patrum efficiunt, ut guatus eis similis succedat?*

ad vert. 21. et seqq. *Quatenus heu pudor!* Epiphonema quo etiam utitur Horat. III. Od. XXIV. vers. 30. Conf. locum Horatii et vide quæ in editione ad usum Delphni concinnata, adscripta sint ex Vellej. Paternulo.

Succrevit, et damnosa pulchras
 Secula diminuere vires.
 Vel nos avitae stemmata gloriae
 Currusque et enses, nuper et hosticis
 Direpta delubris tropaea
 Aemoniae monumenta pugnae

Ceterum adi ejusdem Horat. III. Od. VI. vers. 45. et seqq.
 ubi et similitudinem repieres sententiae, et in verbis ex-
 plicationem. Cur autem *nefastos avos* dicit, quos pau-
 lo ante cum proavis laudibus prosequitur? Non omnes
 etiam proavi laudari a virtute meriti sunt, eos itaque *ne-
 fastos* appellat velut Horatius æquales suorum tempo-
 rum I. Od. XXXV. vers. 55. Quid intactum *nefasti
 liquimus? Damnosa, diminuere, &c.* vide locum ci-
 tatum Hor. III. Od. VI.

ad vers. 21. et seqq. *Vel nos Imitatio* Horat. III.
 Od. XXIV. vers. 45. et seqq. *avitae stemmata gloriae*
 dicuntur *stemma* insignia nobilitatis, quæ Poloni in-
 sculpta annulis imprimis et cælata scutis olim gestare sole-
 bant; et *currus* (i. e. curulia dignitatis equestris orna-
 menta, et *enses*, et ipsa spolia ex hostibus reportata,
 quæ iidem velut *tropaea*, *victoriae* nimirum documenta
Aemoniae (Thessalia nomine antiquo Aemonia) i. e. qua
 Graeci a Turcis victi erant postibus Templorum affixe-
 rant, et quæ majores nostri diripuerunt: i. e. recuperar-
 verunt *comburamus*: neque nos pudeat frangere i. e.
 audacter frangamus *marmora*: (statuas, quae sacros vul-
 tus majorum nostrorum mentiuntur, nobis quidem, qui
 illis virtutem vel denegare velimus, dum nobis otiosis esse
 liceat) et *aera* et *fumosas* *Patrum effigies* et *ceras*,
 (i. e. marmoreas vel aeratas vel ceratas, quales nobiliores
 in vestibulis aedium appendere solebant) sumo saepe fœ-
 das *laudum memores* (activa potestate i. e. quae in me-
 moriam revocant laudes majorum; qua eadem potestate

Horatius *memores fastos* saepe iterat) ea inquam omnia
vel comburamus vel frangamus, vel Vistula mergamus,
atque hic obiter animadverte, Vistulam masculino genere
Sarbievio ubique accipi, quem alii etiam nostri feminini
generis faciunt:

ad vers. 30. et seqq. *Vel, si nos toedet supinae inertiae*, Horatius scelerum si bene pænitet; noster: *si nos pænitet supinae negligentiae Juremus* (Horat. Epod. Od. XVI. vers. 85. *juremus in haec nos martem i. e. bella et pugnas Majorum esse iteraturos.* Quo loco iterare eadem significatione sumitur, qua apud Horat. I. Od. VII. vers. ultimo: *Cras ingens iterabimus aequor.* Denique praesens iterare pro futuro iteraturos esse nemireris exempla plurima assert Sanctius in Minerva Lib. I. Cap. XIV. de Verbo Infinitivo, quorum duo citavisse sufficiet. Cæs. de B. G. Lib. VI. Cap. *Si amplius obsidum velit, dare pollicentur.* Val. Max. Lib. VI. Cap. 5. Nro. 2. *Tribuni quatuor juraverunt, in squalore se esse, quoad imperator ipsorum reus esset futurus.*

ad vers. 33. et seqq. Sequitur ad Vladislaum IV.
Regem Apostrophe: *O Princeps, quem gloria everit
super terras &c. O tu grande decus columenque mun-*

25 Evexit alis, o caduci

35

Grande decus columenque mundi,

30 Pridem Geloni sobria sanguinis

Rursum Polonis diripe postibus

Et tela, Princeps, et timenda

Edoniis refer arma signis.

40

di (vide Horat. II. Od. XVII. vers. 4.) *caduci* (vergentis ad interitum divinis literis praedictum eadem significatione, qua usus est Virg. Lib. X. Aen. vers. 622. *caduco juveni mox morituro*) vel intelligit substantivo *mundus* Europam, cuius fama *caduca* jam erat ob inertiam velut Ovid. ex Ponto Lib. IV. Epist. VIII. vers. 46. *Neve sit actorum fama caduca cauent: deripe postibus Polonis et tenui* (quae post victoriam postibus conclavium ei unice usui et majorum imaginibus destinatum, (Sala familiyna) solebant appendi, quasi votiva) ea, ait Sarbievius, iterum tu Vladislai deripe, dudum enim sunt *sobria*, i. e. cupiunt saturari sanguine Gelono, quae tu deinde iterum appendes postibus sed prius *refer* (fer iterum *adversus Turcas*) ea *arma timenda signis Edoniis*, signa pro cohortibus et legionibus Turcarum. *Edoniis* vide notam ad versum 71 Odae XII. hujus Libri.

ODE XVI.

TEMPORUM IGNAVIAM REPREHENDIT

Mercuri, nam te cytharae potentem
 Vivido manes reparare cantu
Furva Cocytii stupuere pressis
 Stagna fluentis :

Ad vers. 1. et seqq. Mercurius hic *cytharae* (cujus inventor a Mythologis fingitur) *potens* eadem ratione, qua a Virgilio I. Aen. vers. 84. Aeolus *tempestatum* *potens* canitur, (vide quae adscriptimus ad vers. 11. Odae XIV.) *nam te reparare* (pro *reparantem manes*) *stupuere* (cum infinitivo pro partic. praes. reperimus etiam apud Virg. Ecl. V. vers. 37. *Jamque novum, ut terrae stupeant lucescere solem, pro lucescentem*) *Cocytii* (inferorum fluvius est e Styge profluens a ~~xxv~~ ^{ge}mo) *stagna furva* (Nominativus. Virg. VI. Aen. vers. 323. *Cocytii stagna alta vides*: adjectivum vero *furus* solet aliis item inferorum substantivis conjungi; velut apud Horat. II. Od. XIII. vers. 21. *Quam paene furvae i. e. atræ regna Proserpinae..... vidimus?*) *pressis fluentis* (suis i. e. repressis suis aquis,) quæ etiam Virg. saepe *fluenta* compellat, in suo cursu retentis, quod habet idem Virg. I. Georg. vers. 132. *Et passim roris fluentia vina repressit*. Ceterum τὸ cantu vivido refertur ad Mercurium manes *reparantem* pro *reducentem* ab inferis, velut Virg. IV. Aen. vers. 242, *hac animas ille evocat Orco vividus i. e. vitae restituens*. velut Martial. Epig. VIII. 6. *vividius merum i. e. recreans, et reficiens*.

ad vers. 4. et seqq. *Tuquē Musa* (suam alloquitur Musam i. e. lyram) *Lesboos nervos* (Alceus et Sappho

Tuque Lesboos imitata nervos 5

Musa, Dircaeum modulare carmen,

Quo Palatini revocetur Orco

Turba Quirini.

Ite pugnaces Priami nepotes,

Pulcher Anchisae Venerisque sanguis! 10

pho patriam *Lesbon* insulam habuerunt) *imitata* (pro *imitans* vide quæ dicta sunt ad vers. 29. Odæ I.) *Dircaeum* i. e. Pindaricum *Dirce* enim fons est Bœotiae, item fluvius Thebas alluens, ubi Pindarus natus est; quem propterea etiam Horatius IV. Od. II. vers. 25. *Dircaeum* appellat: ex qua Ode noster illa imprimis verba *nigroque Invidet orco menti obversantia* habuisse videtur. Porro *Lesbous*, *Myrtous*, *Eous*, *Arctous* penultimam longam habent, quod græce per ω scribuntur. *Quirinus* vero *Palatinus* appellatur, quod *Palatinus* mons et Regum et Consulum, et etiam Imperatorum sedes erat; ut inter ceteros illustrior habeatur.

ad vers. 9. et seqq. Jamque se Poëta sistit in Plutonis regno, atque velut *Orpheus* Lyra sua Manes præclarissimorum Romanorum excitare nititur, ut ipsi, dum eorum, qui in vivis sunt, animi et arma languent, victoriæ de Turcis reportandæ gloriam præripiant. Vel, si mavis, alloquitur Poëta verbo aliis Vatibus familiari: *Ite pro venite* velut Ovidius mortem psitaci deflens: *Ite frequentes aves*, *Ite piae volucres* i. e. convolate. *Nepotes Priami*; et *Sanguis Anchisae et Veneris Romani* sunt: *pugnax* pro *bellicosus* quod et Cicero habet VIII. Philip. *Centurio pugnax* et *lacertosus*. *Pulcher* sæpe pro τοῦ *fortis* reperitur: velut apud Virg. VII. Aen. 656. *Satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus* ad quæ verba Servius *Pulcher* ait quasi πολύχειρ i. e. *manu multus vel fortis*; cui derivationi subscribit Flor. Lib. IV. Cap. 4. cum ait: *Tum etiam manu pulcher apparuit, cete-*

Ite, formosas Acherontis, ite,
Linquite ripas.

Quid juvat nigras habitare valles
Ferreum leto simulante somnum?
Quid juvat subter sepelire magna
Secula terrā? 15

rum versus 10 ex Horatio devivatus est, et quidem ex carmine seculari, in quo versus est 50. mutata voce prima.

ad vers. 11. et seqq. *Acheron* fluvius est, per quem Charon manes ad inferos transportare fingit. Ripa illa, qua inferos lambit a Lucano III. vers. 16. *adusta* dicitur: *Praeparat innumeras puppes Acherontis adusti Portitor*, qua vero contiguus est superis regionibus, recte *formosa ripa* dici potest in comparatione illius deformatis lateris, quo tartarum alluit. Fingit itaque Poëta heroas a se evocandas, trajecisse jam Acherontem, in ripa modo formosiore aliquantulum morari. Denique Sarbievius voluit forsitan Elysios campos Acheronte a Tartaro divisos intelligere, ita ut *formosa* referendum esset ad ripam Elysiorum camporum, adusta ad latus objectum tartaro. Ceterum facillime induci paterer, ut pro *formosas* legerem *fumosas*, quod τῷ *adusta* magis esset consentaneum.

ad vers. 13. *nigras valles* inferorum sedes sunt; quas noster *valles* dicit, velut Ovid. *Et Elysia valle Tibullus erit ad imitationem vallis elysiae.* Ferreum somnum Homericum est χάλεπος ὑπνος quod imitatur Virg. X. Aen. vers. 745. *Olli dura quies oculos et ferreus urget Somnus.* Hypallage pro somno simulante letum.

ad vers. 15. et 16. Sensus est: *Quid vos juvat sepelire vobiscum magna secula* metonymice pro magnitudine ipsorum, qui iis seculis vivebant; velut passim

Te, Mari, torvi revocant Sicambri,
Te pharetratae Nomadum catervae:
Te Numantini metuende poscunt

Scipio campi.

20

apud auctores etiam solutæ orationis *secula* pro homini-
bus et moribus seculi alicujus ponи solent. Cic. de Div. I.
cap. 19. nec seculorum reliquorum judicium pertine-
scere Terent. in Eun. II. 2. 15. Olim isti fuit generi
quondam quaestus apud seculum prius. Albinov. ad
Liv. vers. 45. Quid (prodest) tenuisse animum contra
sua secula rectum: i. e. contra vitia hominum sui tem-
poris. Hinc dicta sunt secula: aureum, argenteum,
aeneum, ferreum a moribus hominum, qui tum vixe-
runt.

ad vers. 17. *Sicambri et Sigambri* nunc Geldren-
ses teste Marliano populus Germaniae inferioris trans Rhe-
num, qui cum Cimbris et Teutonibus celebri illo tumultu
in Italiam venerunt, a Mario fusi profligatique. Est
itaque sensus: Mari iterum i. e. alii Sicambri nunc te vi-
ctore indigent, revocant ab inferis *torvi*, velut Hor. I.
Od. XXVIII. vers. 17. *Dant alios Furiae torvo spe-
ctacula Marti.*

ad vers. 18. *Nomadum Africæ populus*, qui po-
stea literis aliquot mutatis *Numidae* appellati sunt, quos
eiam Dionysius Periegetes Nomadas vocat his versibus:
*Toὺς δὲ ἐπὶ δὴ Νομάδων παραπένταται ὀσπετα Φῦλα Εὐθα
Μασσαίουλοι τε καὶ ἀγρόνομοι Μασυλῆes Βόσκονται etc.*
Massyli enim pars Numidiæ erant, teste Livio XXIV. cap.
48. *Pharetratos* Horatius Gelonos III. Od. IV. vers. 35.
appellat, estque commune omnibus gentibus quæ phare-
tris usæ erant. Resertur itaque versus uterque ad Ma-
rium, quare ad hujus calcem semicolon addidimus.

ad vers. 20. Scipio hic Aemilianus ille est, Pauli
Aemilii qui Persea Macedonum regem in triumpho vi-

Aereis rursum fluitare turmis
 Visa Carthago, peditumque nimbos
 Et Saguntinis Siculisque bellum af-
 fundere portis.

Surge: non audis strepitum? et sonorum 25
 Agmen? et tractas per humum catenas?
 Non vides, quantam novus ecce surgat
 Poenus in hastam?

ctor duxerat, filius, a P. Scipione Africano minore adop-
 tatus, qui Numantiam annis 14 Romanae potentiae re-
 nitentem, expugnauit, Carthagine solo prius aquata.

ad vers. 21. et seqq. *Surge Scipio*. nam recentes
 Carthaginienses in Hispania sicut secundo Punico, et in
 Sicilia sicut primo, renovant bellum: *visa* active: vi-
 dimus rursum Carthaginem *aereis turmis* (equitibus
 aere coruscis) *fluitare* (migające się) infinitivus pro
 participio praesentli (vide quae dicta sint ad vers. I.
 hujus odae) quod Ode I. Libri hujus *fluctuat* dixit
 et *titubat* vers. 26. idem hic vult intelligi. Neque enim
 de mari Siculo, sicut historia videtur permittere, ut ad
 naves sententiam trahere liceat, pertinere turmae equitum
 possunt: *peditum nimbos* praeeunte Virgilio VII. Aen-
 vers. 793. dixit; et *Saguntinis* sufficiet profecto adje-
 cissee adagium: *Roma* deliberante *Saguntus* perit ut
 victoria de *Saguntinis* (Hispaniae incolis) ab Hannibale
 reportata in memoriam revocetur, *affundere* imitatur no-
 ster Tacitum, qui *equites* *affundere cornibus* poëtis
 certe magis quam historico licita formula utitur.

ad vers. 26 *per humum illam*, quam tu imperio
 Romano subjectisti, trahuntur iterum per Algerienses pira-
 tas et Tunetanos inditae insontibus catenae:

ad sers. 27. et seqq. *surgere in hastam* apud
 Statium I. Achill. vers. 485. et 486. *jamque Odrysium*

Magna te poscunt Asiae sepulchra
 Magne Pompeji. Tibi, Caesar, olim 20
 Thraces et ferrum manicasque et ignem et
 Tela minantur;
 Bactra jam motis tremuere castris

Gradivus in hastam Surgeret iisdem verbis reperitur, quae paulo clariora fiunt, Virg. XII. vers. 398. loeo, cuius verba haec sunt: *ingentem nixus in hastam stabat*: in hastam itaque surgere nihil aliud est, quam se se erigere hunni jacentem nixam hasta. Confer Sil. Lib. VII. vers. 591. *majorem surgere in arma, Majoremque dedit cernere Tirynthius ad quem locum vide interpretes.* Confer item Vig. IX. Aen. vers. 749.

ad vers. 29. *Asiae sepulchra* Historia docet a Mithridate, uno nuntio, una eademque die per omnem Asiam minorem occisa fuisse Romanorum 15000 o (aliij 8000. prodiderunt) quare noster *sepulchra magna* inquit; Romanorum occisorum te Pompeji reposcunt, constat enim neque a Luculo neque a Sylla potuisse compesci. Mithridatem, donec Pompejus illum terrorem a Romanis cervicibus in orcum depulit. Ceterum Magne Cognomen Pompeji est, non epitheton, velut legenti Lu- canum qualibet fere pagina patet.

ad vers. 30. et seqq. Tuque adeo Caesar, qui olim victorias 50. retulisti, quem Pharsalus et Asia etiam quid Marte posses expertae sunt, audi et surge: minantur enim Thraces et Parthi ferrum Italiae, atque propterea etiam tibi, qui in ea situs es. Jam eorum castra instant, et exercitus, imprimis equester, quo plus valent, quam pedestri: jam nisi surrexeris, tuum sepulchrum Medus calcabit, et Tui somni requiem turbabit, denique honos id a te tuus postulat, ne tibi diutius minas intentari permittas.

ad vers. 33. *tremuere* (perfectum in praesenti)

Martio nubes feriente cornu,
Jani minae tristes equitum et frementum hin- 35
nitus equorum.

Surge: quā dormis, quatit acer urnam
Ungulā Medus; potes hoc sepulchro
Esse secure piger? aut honestos

Carpere somnos?

40

Ite: felices iterate pugnas:

Ite Romani, juvet arma notis
Postibus demi, solitoque frontem as-
surgere cono.

Bella nos pictis simulamus armis

45

Splendide fortes, et inane pugnae

pro tremunt Bactra a Turcis ex media Asia accita; ar-
ripiunt quidem arma, sed cum audiunt adversus te
Caesar ea esse movenda, contremiscunt: item minae
quitum contremiscunt, et hinnitus equorum pro hin-
nientes equi.

ad vers. 37. Imitatur Horatium Epod. XVI. vers.
12. *Eques sonante verberabit ungula. Carpere somnos*
pro dormire etiam Virg. IV. Eneid. vers. 555. *Carpebat*
somnos.

ad vers. 41. vide supra ad vers. 9. *hujus odae.*

ad vers. 42 et 43. vide quae dicta sunt ad vers.

38. praecedentis Odae,

ad vers. 44. et 45. *solitoque frontem assurgere*
cono (galea, pars pro toto, conus enim summa galeae
pars est cui crista inseritur) ita dictum velut apud
Claud. in Laud. Serenae vers. 3. *solita coma consur-*
gere gemmis.

ad vers. 45. *nos splendide fortes* (qui nos fortes
existimamus, splendida veste indutos, et *armis pictis*,

Nomen, et docti vacuum duellis
Ludere Martem.

Fortium cingi galeis avorum
Pro pudor, seri fugimus nepotes; 50
Heu peregrinis onerasse fortis
Tempora gemmis!

Parva non magnam manus implet hastam,

tectos, et qui *simulamus nomen pugnae inane tum cum splendide induit sumus*, quod noster sumus *docti ludere Martem* (lusū imitari Martem) i. e. bellum, *vacuum duellis* (*duellum pro proelio passim apud antiquos*) quasi dicat: fortis nos putamus, si artem digladiandi (sechtunki) scimus et novimus expertes belli; *ludere doctior Horatianum est III. Od. XXIV. 56.*

ad vers. 49. *Cingi galeis* velut Virg. *Cingor fulgentibus armis*: Aene. II. vers. 149.

ad vers. 50. *seri fugimus nepotes*: i.e. non alares, in diligentia imitandorum avorum cessantes velut apud Virg. Aen. VII. vers. 509. *seraeque ad fortia vires.*

ad vers. 51 *fortes onerasse*, i. e. *ad onerandum* quasi dicat: in eo tantum fortis sumus, ut oneremus tempora peregrinis gemmis: Horatius etiam habet τὸ fortis cum infinitivo III. Od. III. vers. 50. *aurum..... spernere fortior, quam cogere humanos in usus.*

ad vers. 53. *Parva manus* i. e. nullo usu bellico exercita, seu mollitie delicate *non implet* i. e. non capit in se *magnam hastam* avorum: in qua satis insolita phrasī noster imitatur Claudianum, qui duobus locis diversis haud absimili potestate utitur eodem verbo *implet*: et quidem in quartum Consulat Honorii versu 519 *Jam patrias imples galeas quamvis parvus sis*; et in Raptu Proserp. Lib. III. vers. 218. *Nunc crinita (Pro-*

Defluunt grandes humeris pharetræ,

Decidunt arcus laterique iniquus

Exprobrat ensis.

55

Prisca mutatae pudet arma dextræ,

Patrius quondam male laxus haeret

Filio thorax, nec avita norunt

Tela nepotem.

60

*serpina) jubis galeam laudante Minerva implet, et
ingentem clypeum gestare laborat.*

ad vers 54. *Defluunt pharetræ etc.* ut ait Horatius I. Sat III. *Rusticus tonso toga defluit* i. e. toga non apte haerens corpori, quod effeminatum inertia etiam ad arcus et enses sustinendos non satis robustum est. *Iniquus* itaque et non aequalem lateri et iratumensem significat, cui posteriori significationi respondet verbum *exprobrandi*.

ad vers. 57 et seqq. Eadem est mollitiei exprobratio: *Prisca (Patrum) arma pudet nunc mutatae (nepotum) dexteræ, thorax male laxus haeret* in quo noster sequitur Horat I. Satyr. III. vers. 31. et 32. et *male laxus In pede calceus haeret.*

ODE XVII.

ANIMI LENITATE PRINCIPES MAXIME
COMMENDARI.

Non vivi paries vitri
Crystallique fores, aut Mareoticis

Ad vers. i. *Paries vitri vivi* intelligitur speculis frequentibus abundans paries, in quo viventes homines obversari videntur, quod præsentium imagines a vitro illo reflectuntur, ac propterea vivuni dicit noster. Ceterum specula cum fixa parietibus, tum portatilia ad principum virorum elegantiam pertinere, nemo nescit. *Vivum opus* appellat Claudianus vitream Archimedis sphæram Epig. XVIII. vers. 8. Vivum item vitrum crystallus est, et significat vitrum nativum, (quale descriptum est in pulcherrimo Claudiani Epigrammate VIII. quod vide) sicut *punex* dicitur *vivus* apud Ovid. III. Metam. vers. 169. pro nativo, quod tamen Sarbievium voluisse non crediderim, cum in sequenti versu *crystalli* faciat mentionem. Genitivus *vitri* et *crystali* hac saltem constructione infrequens est, similis tamen est Genitivo Plautino: *numinus auri* in Pseud. I. 1. 95.

ad vers. 2: *Crystallique fores*. Nil mirum, si noster dictione uititur nova, ad rem indicandam veteribus incognitam. Aliud erat *crystallum* de quo Plin. H. N. Lib. XXXVII. Cap. II. quod ille *nativum* vocat; aliud est *crystallum* ætate nostra, scilicet vitrum adcuratius elaboratum, quod nos *Bohemicum* dicimus: fores pellucidæ vitreæ. *Mareotici postes* dicuntur illi, qui ex Syene et Elephantide Aegypti ultimis civitatibus exportantæ, cædebat ex lapide granito, cuius ingentes moles illiac reperiri ajunt.

Aurum postibus illitum
 Laudandum memori carmine Principem
 Clarabit, neque barbaras 5
 Decidet tumulo gloria laureas;
 Sed frons mitior aspici
 Innubique nitens ore meridies,

ad vers. 4. Horatius IV. Od. III. vers. 4. eodem
 utitur verbo clarandi; *memori carmine*, potestate activa,
 scilicet *carmina*, quæ in memoriam revocent *laudandum Principem*; qua potestate Horatius et alii passim ^{ad} *memor* potissimum usurpant: velut III. Od. XI. vers. 51.
 et 52: *et nostri memorem sepulchro sculpe querelam.*

ad vers. 5. et seq. *Decidet pro incident, tumulo laureas* (metonymice pro rei militaris gloria, velut in
 illo notissimo versu Ciceronis: *Cedant arma togae, concedat laurea linguae* 1 Off. cap. 22. *barbaras* (de
 barbaris gentibus reportatas) Sensus itaque est: Gloria
 non incident tumulo laudandi Principis laudes et victorias
 de barbaris gentibus reportatas:

ad vers. 7. Non hæc itaque laudandum Principem
memorabilem reddent, sed frons mitior aspici (aspectu
 vel ad aspiciendum) vide quæ dicta sunt ad vers. 51.
 Odæ I. hujus Libri *et meridies*^{ad} est: *merus dies* quasi
 dicat: lucidissima diei pars, idque pro sereno seu laeto
animo, qui *ore proditur innubi* (i. e.. sine *nubibus* et
 translate sine animi perturbatione;) Seneca in Herc. Oet.
 vers. 238. eodem epitheto utitur, cum ait: *Fulsit Jole, qualis innubis dies et vultus, qui sospitat omnia* (ut
 ait Hor. IV. Od. V. vers. 6. et seqq. *Instar veris enim vultus ubi tuus Affulsit populo, gravior it dies, Et soles melius nitent*) *sospitare Plautinum est*, et passim
obvium in votis: Deus sospitet Te tuosque? Qualis autem vultus? vacuus nube irati supercilii Euripides.

- Et qui sospitat omnia
 Irati vacuus nube supercilii, 10
 Primo gratior Hespero
 Formosus rosea vultus in iride.
 Regum vultus imagine
 Regnorum legitur: pandite lumina et
 Vultum pandite Principes 15
 Jam vultum et populi lumina vidimus.
-

Hip. ὁφύων νέφος. Cic. in Pis. frontis nubeculam i. e. fastum, iracundiam; ait enim Plin. Lib. I. cap. 37. Superbia alibi conceptaculum, sed hic sedem habet.

ad vers. 11. *Primo gratior Hespero*: gratiam ei hespero etiam Horatius tribuit III. Od. XIX. vers. 26. *Puro te similem Telephe vespero*; in versu priore, ne syllaba or longa fieret sequente υ., in altero ne τὸ e sequente ἡ elidi necesse esset, sunt literae immutatae.

ad versum 12. *Formosus rosea vultus in iride* quod infra dicit *in sereno* hic ait *in iride*, et nihil aliud dicere voluit, quam quod *iris* in sensu religioso significat, Dei clementiam; Sarbievius clementiam principum intelligit. Sicut enim Deus Iridem signum esse voluit nunquam se amplius homines diluvio puniturum, ita *iris in vultu* seu per Hypallagen *vultus in iride* indulgentiam Regum designat.

ad vers. 13. et seqq. *Vultus regnum legitur in imagine Regum* secundum tritum illud: *Qualis Rex, talis gressus* quod comprobant etiam sequentia: *pandite, inquit, i. e. aperite, o Principes vestros oculos, et vultum* (qui saepe significat totius corporis faciem) et mox cognoscemus animum et mores populi, qui vestris imperiis paret.

Irasci populum docet
 Qui torvis nebulam nutibus addidit:
 Idem supplicii piger
 Maturis faciem risibus explicet: 20
 Caedesque et populi graves
 Iras et procerum praelia et asperas
 Regum contuderit minas.
 Vulgus bella fremat; te nihil attinet

ad vers. 17. et seqq. *Qui Princeps torvis nutibus*
 (i. e. vultui, nam nutus in facie et fronte significantur)
addidit nebulam (supra nubem dixit); *is docet populum*
suum irasci (iracundiam): sed *idem ipse*, si fuerit
piger supplicii i. e. tardus ad pœnam capitis (sicut
 Horat. II. Epist. I. vers. 124. *Militiae piger* et I. Satyr.
 IV. vers. 12. *piger ferre laborem* vide notam ad vers.
 51. *Odae I. hujus libri*) idem solummodo *explicet faciem* (quod Horat. III. Od. XXIX. vers. 16. *Explicere frontem*; frontem scilicet modestia in rugas contrahit,
 quas laetitia explicat, i. e. explanat; *maturis risibus*
 (*maturis* i. e. temporis accommodatis: *risibus* vero in plurali alibi saepe, etiamque in Quintil. Lib. VI. ubi haec
 habet: *Epicurus vero ea dicit, ut mihi risus captare videatur*) et una opera *contuderit* pro futuro simplici
contundet et *caedes* et *iras* populi et *praelia procerum* i. e. optimatum, et *asperas minas Regum*. Ostensam supra Horatii IV. Od. III. etiam hic imitatur: habet enim Horatius ibidem vers. 8: *Quod regum tumidas contuderit minas.* Contundet autem minas regales in suo ipsius pectore, ne ut alii reges, ipse quoque minax
 videatur.

ad versum 24. *Populus bella conclamet* (*fremitus*
 enim aliquando *acclimationem festam* designat:) *plausuque fremituque secundo Virg. V. Aeneid. vers. 338.*

Foedo turbida nubilo 25
 Mutari pavidis ora coloribus.
 Veris Janitor aureus,
 Qui campis liquidi pascitur aetheris.

q. d. conclamet ad arma pro rege et patria sumenda: *te principem nihil attinet mutari turbida ora* (*Te accusativus est infinitivi, turbida ora accusatiyus graecus pro ablativo, te turbidum ore velut est illud: Os humerosque deo similis i. e. ore et humeris*) quo autem turbidus es? *Foedo nubilo* vide, quae supra ad τὸ nubem et nebulam diximus: *mutari pavidis coloribus* seu: *in pavidos colores.* velut Hor. Epist. I. vers. 100, *mutat quadrata rotundis.*

ad vers. 27. et seqq. Sequitur moderati Principis ad signa zodiaci, comparatio. Familiam dicit *aries* ille cuius signum annum aperit, et ver secum affert.; eaque comparatio longe pulcherrima ad calcem hujus Odæ deducitur. Dicitur vero etiam Manilio Princeps *Aries* (Primum signum Zodiaci) *veris janitor* (quia ineunte vere sol illud ingreditur) Laurentius Le Brun in novo apparatu Virgilii in voce *aries* hæc citat non apposito auctoris nomine: *Cornua contorquens aries cælestia pandit Lumina signorum ductorque et janitor anni; aureus audit,* quod Poëtæ singunt, hunc arietem illum esse, quem Phryxus et Helle, Athamanis et Nepheles liberi concenderunt, cum in Asiam trajicere vellent: cuius *vellus aureum* in Colchide servatum fuit, ipse vero intersidera relatus; *qui campis liquidi* (adjectivo hoc et nosster et alii passim cum aethere conjuncto delectantur) *aetheris* (Virgilius VI. Aen. vers. 886. et seq. eodem dicendi utitur modo, dum ait: *Sic tota passim regione vagantur Aëris in campus latis: pascitur metaphora continuata ad voces campus et aries apta.*

Stellatis aries comis,
 Picti rura poli frenat, et arbiter 30
 Mundi prata perambulat:
 Iraeque et placidi lenior imperi
 Ursis praesidet et Lupis;
 Demitque, et dominis cornibus annuit

ad vers. 29. *Stellatis comis* affert enim modo laudatus Laur. Le Brun exemplum: *Ter sex exiguis variatus corpora stellis non indicato auctore.*

ad vers. 30. *Picti poli* velut Ausonius *picti cœli: Tartaraque et picti servat via lactea cœli;* *rura* permanet in *metaphora aries, pascitur, campis, frenat* (*idem est ac moderatur vel dominatur; exemplum habes in Claud. II. Lib. in prim. Cons. Stil. Qualibus Orbem moribus frenet i. e. regat orbem moribus seu virtutibus suis, et moderetur habendas orbis. Arbiter i. e. dominus vide Hor. I. Od. III. 15.*

ad vers. 31. *Mundi prata* manet in *metaphora arietis*, estque idem, quod paulo ante: *campis aetheris.*

ad vers. 32. *Irae lenior et placidi imperii* comparativus, cui nulla adest comparatio alterius rei, ad blandimenta referendus, *lenior pro leniusculus cum genitivo vel infinitivo* vide notam ad vers. 51. Odæ I. (centerum Horat. I. Od. XXIV. vers. 17. *Non lenis precipibus fata recludere*) quasi dicat: dum iram temperare, et placidum observare imperium novit, *praesidet Ursis* (*quæ signa sunt cœlestia: Ursa major et minor notiora, quam ut indigeant ostendi, et lupis pro diversis animalibus et seris, quæ hæmisphærio ni cœlesti visuntur; sed et Lopus illuc invenitur.*

ad vers. 34. et seqq. *Demitque et annuit jura* jus adimit vel annuit i. e. permittit *torvis leonibus jure suo uti, vel prohibet; scilicet: suo tempore lucere et suo interire: item æstus Leonis maximos imperio suo,*

Torvis jura Leonibus, 35

Castigare vagos acer et igneis
Mundi cogere sepibus.

Vultur degenerum parcior unguium
Albis parcit oloribus :

quod noster *dominis* (*dominatibus*, adjectivum enim est) *cornibus*, frenat et laxat. *cornibus* vero, quod *dominium* significatur potissimum nutu capitis, in quo arietis cornua sunt collocata, adeo quidem, ut videatur *cornibus* imperium suum et principatum exercere. Etiam Horat. IV. Od. XIV. vers. 44. *dominaeque Romae pro dominantis ait.*

ad vers. 35. et seqq. Idem aries *acer castigare leones et cogere* i. e. continere, *igneis sepibus mundi* (ita Silius *ro* aceo construit III. Lib. vers. 338. *Cydnus agit, juga Pyrenes venatibus acer Metiri, jaculove extendere praelia Mauro*) *acer ad castigandum et cogendum*. *Castigare* autem idem quod supra *frenat*; porro *Lupos* pluralis est pro singulari, *igneis mundi sepibus* fingit mundum quasi *sepibus* clausum, iisque *igneis*; scilicet æthere ignifero, astrorum ultimo termino, quod Horat. III. Od. vers. 53. *Quicunque mundo terminus obstitit: sepibus ad continuandam metaphoram animalium cœlestium, quæ ut pecora domestica suis sepibus vel septis coercentur et coguntur*. Manilius ex professo *igneos mundi sepes* Libr. I. vers. 150. ita describit: *Summaque complexus stellantis culmina cœli Flammarum vallo naturae mœnia fecit*. Denique in *Leonis* astrum mutatus a Poëtis fingitur *Leo Nemæus*, quem Hercules in Nemea silva juxta Cleonas Arcadiæ urbem jugulavit, sumpta ejus pelle pro insigni.

ad versum 38. et 39. *Vultur* (qui ab Astronomis etiam aquila dicitur *volans* vero communiter appellatur quiq; in Mythologia Promethei jecur fabulatur devorasse)

Compescit volucrem Bellerophon equum: 40
 Nusquam monstra vagantia
 Chiron Aemonia figit arundine.

degenerum unguium (quia unguis eis rapaciores et robustiores sunt, quam aliarum avium generibus; *parcior* scilicet in Zodiaco parcior, quam sole: seu ut dictum est paulo superius de comparativo sine comparatione cum alia re, ad blandimentum vergente, quasi *parciusculus* (vide notam ad vers. 32) *albis oloribus* (unus quidem est in omni *αρετημη* olor seu *Cycnus*, cuius faciem induit Jupiter olim *Ledæ* causa, vel potius ille, in quem Orpheus a Bacchantibus disceptus, conversus esse narratur, sed hic accipitur et pro corvo et ciconia et aliis avibus in astra relatis.

ad vers. 40. *Compescit volucrem equum* (*Pegasus*) *Bellerophon* Glauci Corinthiorum seu Achæorum regis filius, qui opè *Pegasi* Chimæram interemit: cumque rerum terrestrium tædio ductus in cœlum evolare conaretur, indeque terram despiciens, timore correptus, in terram decidisset, *Pegasus* cursum servans in cœlum dicitur evolasse, ibique inter sidera esse constitutus. *Bellerophon* ipse aurigæ vel aratoris nomine eodem translatus est. Quasi dicat: et *Bellerophon* a nutibus arietis pendet, compescitque *Pegasum*, ne extra cœli aleas eplet.

ad vers. 41. et seqq. *Nusquam* (in cœlo) *Chiron* i. e. Centaurus, qui in Astronomia Arcitenens et Sagittarius dicitur Saturni ex Phillyra filius: *figit monstra vagantia* (cœlestia illa serarum monstra, quæ jam non vagantur, ut olim inter homines, neque adeo figi eas est necesse *arundine Aemonia* (Thessalia quæ erat Chironis patria alio nomine *Aemonia* appellatur) *arundo pro sagitta*: omnia enim serarum cœlestium genera arietis nutibus obtemperant.

ad vers. 43.

Colludit Geminis Leo; et
Taurum supplicibus conciliat jubis.

Nusquam sidera mugiunt

Aut latrat Procyon; aut Libyco duplex
Rugitu reboat polus.

Labuntur tacito summa silentio

ad vers. 43. et 44. *Geminis Castori et Polluci* fratribus, in astra relatis, eisque *conciliat supplicibus jubis* (*juba* pro collo supplici, cui juba innascitur) *taurum*, ne scilicet adversus nutum arietis illos geminos cornu petat.

ad vers. 45. et seqq. *Nusquam tauri quibus sidera* affixa sunt, *mugiunt* (contentum pro continente, qui tropus *Metonymia* dicitur: *Procyon* i. e. Antecanis seu *canis minor aut duplex polus* i. e. arcticus et antarcticus *rugitu* (rugire leonum est) *Libyco* (i. e. Leonis *Libyci*, quia Libya leonum arida nutrix) *reboat* i. e. resonat.

ad vers. 48. et seqq. *Labuntur* (verbo hoc ad siderum motum indicandum utuntur passim poëtae, *velut* Virg. III. Aen. vers. 515. *Sidera cuncta notat tacito labentia cælo*, i. e. decurrentia, *summa* i. e. omnia quæ supra vertices nostros volvuntur corpora: *vigilum ignium* i. e. astrorum vigilantium, quod noctu quodammodo excubias agunt: *currus astrorum* passim apud poëtas, quod *volvuntur*, quasi *rotæ currus* alicujus:

ad vers. 51. *Mundus resonat tantum* (solummodo) *amabili* (arietis) *balatu* (quo jura ceteris animalibus cœlestibus dicit, eoque *amabili*, (amari digno, qualem debent Principes imitari) *lanigerae facis* i. e. arietis lucentis: et idem *mundus vacat* i. e. vacuus est *omni rixa &c.*

ad vers. 54. et seqq. et quidem *amans* se ob perpetuam tranquillitatem, et pacem et silentium, quo frui-

Tranquillaeque facent rotæ,
 Dum currus vigilum volvitur ignium 60
 Tantum lanigerae facis
 Balatu resonat mundus amabili
 Rixâque et strepitu vacat:
 Et se mundus amans, ipse sui propo
 Vivis lucet amoribus; 65
 Naturaeque uterum, et parturientia
 Zona sidera subligat:

tur cœlestis *mundus* imperante ariete; videtur quodammodo (quod noster adverbio *prope* indicat) lucere non solitis ignibus i. e. astris, sed *vivis amoribus sui* (qui aliis etiam Latinis auctoribus *ardere*, et *urere* dicuntur). Secutus est noster sententiam Claudiani, qui in carmine de IV. Honorii Consulatu vers. 283. et seqq. hæc habet: *Nonne vides operum, quo se pulcerrimus ille Mundus amore liget, nec vi connexa per aevum Conspirent elementa sibi?* Ad quem locum Commentator „*An non vides, inquit, quomodo mundus ille pulcherrimus partes omnes suas contineat, velut quodam amoris, et concordiae vinculo inter sese conjunctas?* Animadverte rō ligo Claudiani, quam egregie a nostro in *subligat* commutatum, sed fictione majori. Zodiacum enim zonam compellat, quæ orbem terrarum et sidera cœlestia parturientia, (i. e. diversa meteorologica phœnomena edere meditantia) in contrarium nitens (vertitur enim zodiacus in orientem, cum orbis ipse terrarum in occidentem se torqueat, et quasi vinculo quodam uterum naturæ subligat, ne parturiat perpetuo: porro hoc verbo utitur Horat. I. Od. VII. vers. 15. *Albus ut obscuro deterget nubila cœlo, Sæpe Notus, neque parturit imbres Perpetuos* ect.

Hanc flexis Aries cornibus inchoat,
Rerum nobile vinculum, et
Conjux signiferi fibula balthei.

60

ad vers. 58. et seqq. *Hanc* (zonam Zodiaci) quae
est *rerum nobile vinculum* inchoat (auspicatur) *aries*,
et *signiferi balthei* (ita passim zodiacus nominatur a
Manilio) *conjux fibula* (baltheus absque fibula fangi non
potest) porro locus ejus fibulæ constituitur inter ultimum
et primum Zodiaci signum, scilicet, pisces inter et arietem.
Denique conjux adjectiva potestate sumptum est
velut apud Sidon. cap. 12. (al. 21.) de Delphinis:
Quoquo eant, conjuges evagantur, i. e. mas et fe-
mina.

ODE XVIII.

AD DIVAM ELISABETHAM
REGINAM PORTUGALLIAE.

*Cum Anno 1625 ab Urbano VIII, inter
Divos referretur.*

Diva, devexo nominata ponto,
Cujus undosae meminere Gades,
Cui Tagus servit liquidoque rura
Praefluit auro.

Ad vers. 1. *Diva Elisabeth, devexo i. e. ad occasum vergente, seu ex globo terrestri quodammodo ad antipodas inclinato ponto nominata i. e. celebris, sic enim ad illud Ciceronis VI. Verr. Quid illa Attalica tota Sicilia nominata?, Trebellius in Prompt. Ling. Lat. in voce nominatus ubi adducit exemplum Plin. Lib. XII. Cap. 9; Vicina est Bactriana, in qua Bdelium nominatissimum. Adverte ita hic devexo ponto ablativum esse, velut in exemplo Ciceronis tota Sicilia non vero dativum græcum, pro ablativo cum præpositione *a* in syntaxi passiva, quomodo enim a mari posset nominari Diva Elisabeth? Confer. Horat. I. Od. XXVIII. vers. 21. devexi Orionis et Luc. Lib. X. vers. 39. Isset in occasus mundi devexa secutus.*

ad vers. 2. *Cujus meminere Gades (quæ nunc Cadix ad fretum Herculeum, nunc Gibraltar) undosæ quod undæ marinæ eas sæpe alluunt: meminere i. e. sæpius mentionem faciunt: velut Quintil: Hujus rei memit. polonice: wspomina.*

ad vers. 3. *Cui Tagus (nunc Tejo fluvius princeps Portugalliae, qui ad Olysippone in mare Atlanti-*

Pauperes olim coluisse sedes
 Laeta, nunc magnas habitare stellas
 Inter et gyros, et euntis inter.
 Sidera mundi.

cum exoneratur) servit i. e. Te Dominam agnoscit, te
 colit et veneratur et auro liquido Hypallage pro liquidus
 Tagus defluit auro, ait enim de eo Meta III. 1. Ulysipo
 et Tagi ostium amnis aurum gemmasque ferentis
 et Plin. IV. 22. Tagus auriferis arenis celebratur;
 quod ipsum ab omnibus passim Poëtis celebratur. Verbo
 præfluit utitur etiam Hor. IV. Od. XIV. vers. 26. Qui re-
 gna Dauni præfluit Appuli.

ad vers. 5. et seqq. Tu laeta coluisse olim sedes
 pauperes (solebat enim visitare Xenodochia et Nosoco-
 mia, et Ptochotrophia) colere non pro habitare sed
 frequentare cum aliquo affectu benevolentia, velut apud
 Propert III. Lib. Eleg. vers. 19. Me juvat in prima
 coluisse Helicona juventa legere licet. Stellas vero
 magnas esse etiam antiquitas non ignoravit, cui senten-
 tia Cicero in Somnio Scipionis subscribit, cum ait: Fa-
 cile vincunt magnitudinem terrae stellarum globi.
 Gyros inter i. e. cœlestes astrorum circulos et orbitas,
 velut Catul. Carm. LXVI, quod est de coma Berenices,
 orbitam lunæ dicit vers. 6. gyrum aërium. Euntis mun-
 di i. e. vertentis se et volventis circa solem, qua phrasa
 una opera tangit Polonorum justam gloriam, quod po-
 pularis noster Copernicus soli quietem, et terræ nostre
 motum, omnium astronomorum assensu, primus argu-
 mentis et calculis astronomicis evicit. Denique si mun-
 dum appellat, universum istud, quod oculis nostris arbi-
 tramur, etiam huic motum inesse scimus. Sidera vide-
 tur intelligere stellas quas fixas dicimus; quas autem stel-
 las appellavit versus superiore, planetas vel stellas ex-
 rantes autumat.

Dum Tibi Medae pretiosa silvae
 Damna per Thuscas adolemus aras, 19
 Thureo Regem, populique celestes
 Crimina fumo.

ad vers. 9. et seqq. *Medae silvae damna pre-
 tiosa* i. e. thura odoris amoenissimi, qualia passim ex
 arboribus orientis sudore consueverunt; quæ hic *Meda
 silva* ea Virgilio II. Georg. vers. 136. *Medorum silvae*
 cum appositione: *ditissima terra* dicitur. Thura odo-
 ratissima tribuuntur a veteribus maxime Sabæis, Pana-
 chææ (regioni Arabiæ) et Libano monti, quæ cum sint
 Asiæ regiones, *Medorum* nomine comprehenduntur. Porro
 huc potissimum facit locus Claudiani 11. de raptu Pro-
 serpinæ vers. 81. *Quidquid thuriferis spirat Pan-
 chæa silvis. Damna autem dicuntur thura, quod
 adempta (damnum enim a verbo *demo* originem ducere
 videtur) arboribus orientalibus, nobis usui sunt: per*
Thuscas aras intelliguntur *arae Romanae* calentes thure
Medo: maximo enim apparatu Sanctorum et Sanctarum
αποθεόσεις celèbrari solent Romæ primum ubi ita dicta
Canonisatio promulgatur, deinde in ipsis eorundem San-
 cторum patriis urbibus.

ad vers. 11. et 12. *Celandi* verbum dupli accu-
 sativo jungitur, quorum alter substituendus est hac ra-
 tione: *Celestes o! Sa: Elisabeth Regem Cœli (populum,)*
et populi crimina eo fumo, qui Tibi thure *prei-
 odoletur*: evitabat Sarbievius repetitionem substantivi ejus-
 dem: aliter τὸ que encliticum supervacaneum fuerit.

ODE XIX.

AD COELESTEM ADSPIRAT' PATRIAM.

Urit me patriae decor,

*Urit conspicuis pervigil ignibus
Stellati tholus aetheris;*

*Et lunae tenerum lumen, et aureis
Fixae lampades atris:*

O noctis choreas, et teretem sequi

5

Ad vers. i. et seqq: Sciunt periti; quem sibi Sarbievius proposuerit hac Ode imitandum. *Urit me* i. e. accedit me, et abripit *decor patriae* i. e. cœli; (quod nostra patria est, et quo per vitæ tempus quasi peregrinantes tendimus intenti, ut illam nobis sedem emereri possimus) ceterum *urit me* Virgilius etiam Ec. II: vers. 68. *Me tamen urit amor.* *Tholus* dicitur in ædificiis rotundis concameratio; ubi trabes convénint; hic sumitur pro testudine mundi, astris et stellis cum diu lumen noctu *pervigil*, et ornatus; denique *tholus deteris* pro aethere ipso; *lampades* i. e. stellæ: *luna* etiam *tenera* appellari recte potest; *lum*; cum nova adolescit, cum enim decrescit senescere eam allegorice dicimus.

ad vers. 6. et seqq. *O vos faces noctis;* i. e. luna et stellæ, o vos *juratae* (quae jurasti; vide Calep. in voce *juratus*, vel quorum jus est) *sequi choreas* ejusdem noctis, (choreæ fiunt in gyrum plerunque: dicit itaque: *vos astra* quae lege superna sequimini vestras orbitas, easdemque et itis et reditis vias: et quae *juratae* estis *sequi thyasum* (idem est ac *chorea*, nam *thyas* vel etiam *thiasus* saltatio est et *chorea*, quae Baccho exhibetur, ita Trebellius in *Promptuario*) *teretem* (omnis

Juratae thyasum faces!

O pulcher patriae vultus; et ignei
Dulces excubiae poli!

Cur me stelliferi liminis hospitem, 10

Cur, heu, cur nimium diu

Coelo sepositum cernitis exulēm?

rotunditas nulla sui partē acuminata *teres* dicitur, proprie de cylindris). Ceterum etiam confer locum Horat. II. Satyr. VII. vers. 81: *in se ipso totus teres atque rotundus ad quem locum Iud. Desprez: tam laevis, politus, aequabilis, ut quasi perfectus globus facile manueatur; nihilque asperum ansatumque habeat, quo retineri ac retardari queat; quae omnia apprime conveniunt globis cœlestibus.* *Excubiae ignei poli astra sunt in cœlesti statione excubias* (vigilias) agitantia. Denique *dulces* i. e. amatae mihi velut Virg. IV. Aen. vers. 492. *Dulce caput dixit: pro: dilecta soror.*

ad vers. 10. et seqq. *Cur me stelliferi liminis appage* cum lectione recentiorum editionum quae omnes consentiuut in voce *luminis*, quod nemini emunctae naris placere posse puto. Quomodo enim lumen stelliferum esse possit, cum non a lumine stellae, sed vel imo a stellis lumen afferatur? *Limen* pars pro toto *cælo*, ut adeo *cælum* stelliferum indicetur, quod ipse Cicero in Som. Scip. eum eodem adjektivo conjungit; alii: *Olympus Stellifer* velut Senec. in Herc. Oet. *Polus stelliger:* Stat. XII. Theb. *axis stelliger:* idem Stat. III. Sylv. — *hospitem* eadem hic significatione est, qua apud Ciceronem non infrequens: *nulla in re hospes est: et hospes hujus urbis* i. e. peregrinus, vel ille, qui in hac urbe nonquam antea fuerit: aut etiam: jure hospitii sum quidem domesticus *cœli* incola, sed ab eo *cœlo* diu absum *hospes*; quod confirmatur sequenti nomine: *exulēm sepositum*

Hic canum mihi cespitem

Hic albis tumulum sternite liliis

Fulgentis pueri domus.

15

Hic leti pedicas exuor, et meo

Secernor cineri cinis.

Hic lenti spolium ponite corporis,

tum pro τοῦ remotum, ut Mart. Spect. 3. Quae tam seposita est, quae gens tam barbara? cernitis prō videtis; i. e. videre sustinetis?

ad vers. 13. et seqq. *Hic* Manet in imitatione ejus Odae Horatianae; quam innuimus: *hic* i. e. illico, quod cum ad locum, tum ad tempus referuntur, quasi dicat: *statim*; *canum cespitem*, quem Horat. *vivum* dicit, noster *canum* i. e. albescentem, matutino rore aspersum ut ait Virg. III. Geor. vers. 325. *Carpamus, dum manne novum, dum gramina canent; hic sternite tumulum pueri* (famuli) *fulgentis domus*, quod Horat. Epop. II vers. 65. *ditis examen domus*; verna hac appositione designans; noster domum commodis abundantem significare vult.

ad vers. 16. et seqq. *Hic*, ut paulo ante, *exuor pedicas*; ita passim verba induendi, active duplice accusativum habent; quorum alterum etiam in passiva retinent significatione: *et meo cineri* (dative est, ut apud Hor. I. vers. 31. *Me gēlidum nemus, Nympharumque leves cum Satyris chori Secernunt populo*) i. e. corpori in pulverem redigendo; ego *cinis* i. e. meum corpus quasi dicat: a re tam vili secernor jam ea parte, qua corpus sum, uain meliore parte tendam in patriam cœlestem; nempe hoc significant verba, et ego *reliquus* i. e. quod ipse exponit; *et quidquid superest mei* nempe animus immortalis, *immensum in aethera tollor*, (præsens pro futuro) *immensum* et Cicero II. Lib. de N. D. et Luc. Lib. I. vers. 56. aetherem compellant. Postremo epi-

Et quidquid supetest mei:

Immensum reliquus tollor in aethera 20

thetum *lentus* optime convenit cadaveribus, quod eorum
membra, in quamcumque velis, partem facile flectas:
quod etiam de dormientibus passim, vel post laborem
languore fluentibus membris dici consuevit: *Tu Tityre
lentus in umbra: et Lenta salix.*

O D E XX.

AD PRINCIPES ITALIAE.

De recuperando Orientis Imperio.

**Pulchro, Quirites, pulvere gaudeat
Impubis aetas, et strepitum et minas
Jam nunc, et audaces tumultus
De tenero meditetur ungui:**

Ad vers. 1. Imitatur Oden literat. Lib. III. 2. *Quirites* (Romani) *gaudeat impubis aetas pulchro pulvere* (quem Hor. II. Od. I. vers. 22. non indecorum compellat, ad quae verba Trebellius addit: *qui certant Olympia, quive bellum gerunt; et Virg. VII. Aen. vers. 162. Ante urbem pueri et primaevi flore juventus Exercentur equis dominantque in pulvere currus) et strepitum belli* (Tibull. II. Eleg. V. vers. 73. *arma strepitantia*) *et minas, et audaces tumultus* (*Tumultus a legitima militia differt, quod in hac singuli milites citati, in tumultu omnes simul ad moram evitandam in ducis verba jurabant, quales fuerunt: tumultus Italicus, Gallicus*) hic pro quovis motu et trepidatione

Visoque primum sanguine gestiat	5
Inter cadentum signa: neque eligat	
Quo lassa, post pugnam reclinet	
Colla toro, solidisque somnum	
Commendet armis: aut clypeo super	
Effusus, aut se cespitis explicet	10

ludicra; *de tenero meditatur ungui* idem hic versus totidem verbis reperitur in Horat. III. Od. VI. vers. 24. Meditari aliquid saepe est exerceri et vires experiri suas in aliquo: velut in illo Virgilii: *Silvestrem tenui mussam meditaris avena.*

ad vers. 5. et seqq. Visoque primum sanguine cadentum inter signa (de antesignanis et subsignanis lege Lipsium in Polyorheticā Lib. IV. Dial. III.) hic significat in acie prima ad ipsa signa, ubi solebat acerrima pugna iniri; neque eligat (anxie quaerat torum vel stratum, quo lassa (fatigata) colla (pars pro toto corpore) post pugnam reclinet (deponat i. e. in quo dormiat) sed solidis (duris sine suppositis cervicalibus) armis commendat (Virg. Ecl. V. vers. 36. *Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis* idem enim commendare, quod simplex mandare, i. e. in sulcos jacerē) ita hic: *ia* arma abjiciat seu deponat; *qua* ipsa potestate effusus dictum est (Virg. XII. Aen. vers. 379. *Quum rota praecipitem et procursu concitus axis Impulit effuditque solo*, i. e. humi stravit, et apud eundem fusus per herbam non semel. Denique super suo substantivo postpositum etiam in Virgilio inveneris Ecl. I. vers. 81. *Fronde super viridi.*

ad vers. 10. et seqq. aut se explicet, quod paulo ante reclinet, commendet, effusus id nunc alio verbo explicet dicit i. e. sternat se, ita enim Lucanus describit Herculem cum Antaeo pugnantem, et eum humi ster-

Per summa, non parcus juventae
Et decorum pretiosus emtor.

Hoc septus olim milite, Bistonum
Vallata saxo diruit oppida

nentem Lib. IV. vers. 628. et 629. et omnem Explicuit per membra virum: per summa cespitis (Virg. V. Aen. vers. 180. *Summa petit scopuli, pro summum petit scopulum*); non parcus juventae (velut Horat. II. Sat. II. vers. 62. *non parcus acetii*) et decorum pretiosus emtor, quod ipsum Horat. Ode ostensa ad vers. 1. in contrariam ait partem: *dedecorum pretiosus emtor* ad quae verba commentator: *Quovis pretio emens et remunerans flagitia.*

ad versum 13. et seqq. Horat. in Ode memorata Lib. III. Od. II. prosequitur: *Non his a noster contra: Hoc (tali) septus (circumdatuſ) milite quis septus? Regnator Epiri* (Georgius Castriotus vulgatiore nomine Scanderbeg, cuius historiam nostra lingua ex arabico manuscripto codice translatam Illustrissimus Comes Venceslaus Rzewuski junior orientalium societatum plerarumque Collega, et omnis antiquitatis scrutator longe peritissimus suis filius maxima spei Stanislaw et Leoni dedicavit, quae nondum luceni publicam aspexit) et timendus moderator orae Parrhasiae idem Scanderbegus, qui propterea moderator orae Parrhasiae (Arcadiae et partis prota Polopouneso seu Morea) cuius majorem partem Veneti socii Scanderbegi tenebant, dicitur et quorum ille auxilio usus est adversus Turcas. *Bistonum* (Turcarum, quorum 2000 sua ipsius manu obtruncavit, nec ab illis unquam maximis copiis impetus, rerum et militis inops, victus est) *vallata (munita)* *saxo diruit oppida*, qui a Croja Albaniæ capite, ad Adrianopolim usque pertigerit, et obvia quaeque munimenta solo aequarit. Consule Barlet.

Regnator Epiri, et timendus Parrhasiae moderator orae.	15
Heu quantus armis, quantus adest equis Quantusque sudor depopulantibus	
Pangaea Dacis? cum refusi Ferrea diluvies Gradivi	20

Hist. Scanderb.— Jovio nella vita di Scanderb.— Leun-clav. in pandect. Turo. &c.

ad vers. 17. et seqq. Imitatur Horatium, qui I. Od. XV. vers. 9. paulo aliter canit: *Eheu quantus equis
quantus adest viris Sudor!* — *adest praesens pro pre-
terito*, velut vice versa Horatius imperfectum posuit pro
praesenti I. Od. XXXVII. *Tempus erat dapibus, So-
dales.* quae mutatio *Heterosis* temporum dicitur. *Pan-
gaea* vide supra Ode III. ad versum 33. *Dacis* pro
Turcis, qui Daciae regiones occupaverunt *depopulan-
tibus* eas videlicet regiones, quo Ladislauum Poloniae et
Hungariae Regem per venturum existimabant, ut eas
omnibus exercitui necessariis vacuas ingressus, ad re-
ditum cogeretur: idque tum, *cum refusi* (effusi Virg.
I. Aen. vers. 130 *stagna refusa vadis*) *Gradivi* (Mar-
tis metonymice pro *Belli*) *ferrea* (ferro, armata) *dilu-
vies* (inundatio pro multitudine Hor. IV. Od. XIV. vers.
28. *Diluviem meditatur agris Aufidus*) *concussit* (per-
terruit Virg. IV. Aen. *concussam bacchatur fama per-
urbem*, vers. 666.) *Haemum* (qui nunc Balcan, et qua-
mari adjacet Cumaniza) quo concussit? *turbine* (pro-
cella: *turbo* proprie instrumentum lusorum est, quod
evibratum, humi cum plurimo sonitu in gyros actum,
obvia quaeque minora repellit, majoribus ipsum repellit-
tur, unde vento maxime competit, alias vortici in aquis)
hic pro impetu, qualem excitare solent *praelia tumul-
tuosa* i. e. inopinato et repente ingruentia. De *turbine*
vide Virg. VII. Aen. vers. 378. et seqq.

Tumultuosi turbine proelii
 Coneussit Haemum; cum Rhodopen prope
 Sacrisque Ladislaus armis
 Attonitum patefecit Hebrum,
 Et bellicosum Strymona vindice 25
 Turbavit hasta, qui calidas adhuc
 Strages Gelonorum, et nutantum
 Scuta virum, galeasque volvit.

ad vers. 22. et seqq. *Cum Rhodopen* (qui mons est ultra Haemum situs, et *Hebrum* (qui est fluviorum Thraciae maximus, hodie Mariza) *attonitum* (i. e. sonitu armorum percussum, idem est, quod paulo ante *concussit Haemum turbine*) *patefecit* (eadem significatio ne qua apud Ciceronem pro Leg. Manil: *Patefactum nostris legionibus esse Pontum, qui ante Populo Romano ex omni aditu clausus esset*) scilicet aperuit nobis *Ladislaus sacris armis*, (quae apud nos Catholicos ante bella benedici ritu ecclesiastico solent, imprimis Regum enses et signa bellica) iter ad *Hebrum* usque, quo nunquam antea majorum nostrorum arma penetrarunt.

ad versum 25. et seqq. et *bellicosum Strymona* (Macedoniae septentrionalis fluvium qui bellicosus per Hypallagen dicitur, resertur enim hoc epithetum ad *Ladislaum*, vel ad accolas *Strymonis*) *vindice hasta* (pro armis viuidetam ab hoste repetentibus) *turbavit* proprium verbum ad aquas ab imo fundo commotas ductum, unde *aqua turbida* proprie dicitur: hic pro concitavit vel terruit *Strymonis* accolas; vel si placet *bellicosum* dixit *Strymona* a gruibus, quae *Strymoniae* saepe audiunt, et quae cum Pygmaeis bella gerere finguntur, unde bellicosi appellari et hi et illi solent. In reliqua sententia imitatitur noster Virg. I. Æn. vers. 104 et 105. *Ubi tot Simois correpta sub undis Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit.*

Magnum illa terris intulerat metum
 Praecepſ ahenas rumpere copias, 30
 Taboque fumantes et igni
 Ausa cohors operire campos,
 Si non honesti laeta periculi
 Bellique metas rumpere pertinax

ad vers. 29. et seqq. Sententia est: Illa cohors magnum metum illis terris intulisset, nisi honesti periculi et pugnarum nibilium cupidus egisset illam in praecipſ, i. e. nisi Ladislaus ad Varnam fortissime pugnatis et novis victoriis inhians, occubuisse; *intulerat* pro conditionali *intulisset* cuius mutationis temporum cum alia plurimā passim obvia exempla reperire licet tam illud Virgilii II. En. vers. 54 et 55 omnium instar esto: *Et si fatigata Deum, si mens non leva fuisset, Impulerat ferro Argolicas feedare latebras.* Praecepſ rumpere ita Claud. de IV. Cons. Honor. vers. 77. *Hic nova moliri praecipſ, hic quaerere tuta Providus,* scilicet celer ad rumpendas i. e. perrumpendas copias ahenas, quod supra aereas, deinde ferreas hic ahenas dixit, pro aheneas poetice: ita enim Virgilius perpetuo, et alii Poëtae sacriscule; *taboque fumantes et igni* i. e. sanguine corrupto ex corporum occisorum diuque jacentium putredine, et igni, quo incendebantur villaē, ne incessibus nostris comeatus et pabula praeſto essent, *ausa operire*, i. e. storum multitudine complere; *ausa* cum infinitivo velut passim apud Poëtas: *Sanctos ausus recludere fontes* Virg. 175. *Non Pyladēni ferro.* Huic referri meretur iascriptio Numismatis, quo Stanislaus Augustus Rex Poloniae Stanislaum Konarski Scholarum Piarum ornate voluit, ex Lib. I. Horat. Epist. II. vers. 40. delibata: *Sapere auso.*

ad vers. 33. et seqq. si (eam cohortem i. e. exercitum Ladislai) non egisset i. e. non impulisset cupidus

Egisset armorum cupido

35

Non humiles iterare pugnas.

Manes avorum quis bene prosperis

Excuset armis? Quae manus impigrum

laeta, honesti periculi i. e. gaudens se se defunctam vel defuncturam esse periculo eodemque honesto, honorem scilicet pariente, velut Dido a Virgilio dicitur XI. *Aen.* vers. 73. *laeta laborum*, quod interpretes exponunt: gaudens impensā operā, et cum operam impenderet, et postquam eam impendisset; *bellique metas rumperē pertinax* i. e. ultra terminos belli etiam bellare non desistens; scilicet cum jam bellum potuisset finiri, tamen belli continuandi cupidine incitatus, ceterum *pertinax* cum infinitivo etiam Horatius habet III. Od. XXIX. vers. 50: *Fortuna::: Ludum insolentem ludere pertinax:* Denique quo ēam cohortem egit cupido? *Non humiles iterare pugnas*, i. e. ad iterandum; *non humiles* i. e. *nobiles, egregias*.

ad vers. 37. et seqq. Sententia est: *Quis manes avorum* (nōstrorum, Polonorum inquam qui pro omni christianorum nomine cum Turcis signa toties conserue ausi sunt) *excuset* (referat inferias, ut cum Horatio dicam, avis nōstris: referat modus potentialis pro audeat resurrecē) *armis bene prosperis?* q. d. quis ulciscetur sanguinem Ladislai et qui cum eo ad Varnam occubuerunt? Ceterum excusandi verbo hac ipsa pōtestate usus est etiam Claudi. de bell. Get. vers. 562. *Obsessi Principis armis Excusate nefas.* ad quae verba Commentator: Removete opprobrium, Imperatoris oppugnati, telis vestris. Porro *bene prosperis* videtur, τὸ bene παρέλθειν, quod tamen optimorum auctorum exemplo non supervacaneum additur adjectivis velut in illo Hor. II. Od. XII. vers. 15. et *bene mutuis Fidum pectus amoribus.*

ad vers. 38. et seqq. Aliis verbis eadem hic dicuntur,

Leti Musurmannum paternis

Immolet inferias sepulchris;

40

Quae nunc (pudendum) illudere pervicax

Persultat armentum, et miserabiles

Delent peremtorum ruinas

Hinnulei timidaeque damae?

tur, quae proximo versu. Quae manus *immolet* tempus idem, quod supra *excuset*: *Musurmannum* an *Musulmannum* dici oporteat, disputent, qui Arabicam linguam callent: mihi appellativum nomen videtur, quod pro quovis Turca positum sit. *impigrum leti* (Tacit. III: An. Cap. XLVIII. *impiger militiae* habet) i. e. non *pigrum* ad moriendum, q. d. *fortem* et *strenuum*, qui dignas sit *paternis sepulchris*: *inferias* apposito est ad *ro* *Musurmannum*: i. e. hostiam manibus parentum immolandam.

ad vers. 41. et seqq. *Quae* (*sepulchra*) *nunc pudendum!* idem ac *pudet heu!* *proh pudor!* *persultat armentum* (imitatur Sarbievius Horat. III. Od. III. vers. 40: *Dum Priami Paridisque busto Insulet armentum*) quale armentum? *pervicax* *illudere* (Horat. III. vers. 70. et 71. *Desine, pervicax Referre sermones Deorum.*) *Pervicacia* interdum bonarum rerum perseverantia, pertinacia semper malarum, inquit Non. Marc. vox composita ex *per* et *vincere*, obstacula scilicet. q. d. petulans ad illudendum; et *miserabiles* (*miseratione dignas*) *ruinas* *peremtorum* i. e. occisorum reliquias; ita enim etiam Horat. IV. Lib. Od. XIV. vers. 19. *Devota morti pectora Quantis fatigaret ruinis; delent* significatione verbi graeci δηλέω destruo: hic pedibus obterunt et penitus destrunt: *hinnulei* vel *hinnuli* sunt autem pulli capreolorum, capraru[m], damatum, leporum similiusque, *timidaeque damae* quas eodem epitheto etiam Hor. I. Od. II. vers. 11: et 12. pavidas fingit. Est genus caprae silvestris, Virgilio masculini, ceteris feminini generis. Conf. Virg. Eclog.

Eheu, cicatricum Hesperiam pudet,
Et mollis otî, et turpis inertiae,

Iraeque, quae procudit arma
Immeritis inimica regnis!

Quisquamne tandem (dicite posteri)

Ulturus Urbis nomen et Imperi

45

50

VIII. vers. 28. estque *εμφατικῶς* dictum, videlicet: for-
tissima illa corpora nunc timidissima quaeque animalia
pedibus proculcant.

ad vers. 45. et seqq. Ab iisdem verbis incipit Hor.
I. Od. XXXV. strophen 9. *Eheu cicatricum et sceleris
pudet*, ubi Poëta bellorum civilium memoriam detestan-
dam refricat. Ita etiam noster inhonesta vulnera illa exi-
stimat, quae in bellis Italiae et Europæ accepta, dede-
cent potius, quam ornant. *Et mollis otî* (Hesperiam i. e.
Italiam pudet) *et inertiae* (quod nulla bella geruntur,
quibus graves Turcae melius perirent) *et irae* (suae eos
pudei) *quae procudit arma inimica regnis immeritis*
(regnis Europæ, quae minus merita sunt, ut bello infé-
starentur, cum contra Turcae maximopere mœrentur ut
illis bella indicentur. *Procudit arma* Horat. IV. Od. XV.
vers. 19. *procudit enses* *Et miseras inimicat urbes*,
eadem qua noster significatione.

ad vers. 49. et seqq. *Quisquamne* (ipsum etiam
sine enclytica particula fere semper interrogat, idque cum
indignatione, velut apud Virg. I. Æn. vers. 52. *Et quis-
quam numen Junonis adoret?*) *Urbis* (pro Roma, quæ
cum sit Caput Christiani nominis pro eodem omni nomi-
ne ponitur) *et Imperi* (Romani scilicet) *affulget ensis*
(præsens pro futuro, quod cum iam participio: *ulturus*
indicatum sit, in verbo *affulget* repeti non potuit) *atque*
(reponendum fuerat *quisquamne* sed in genere neutro
plurali inusitatum est) *scuta et galeae* (*ulturae*) pen-

Affulget ensis? atque ab ullo
Scuta tholo galeaeque pendent?

Au (quod vereri crediderim nefas)

Futurus ensis Dardanios adhuc

Proscindit agros, aut Latina

55

Arva metit, viridesque silvis

Frondent sagittae! Non ego Romulam

Damnabo pubem veridieus sacri

dent? De *tholo* vide notam ad vers. 3. Odæ proximæ superioris; ceterum arma olim tholis appendebantur, cum iis opus non erat.

ad vers. 53. et seqq. *An* (vero tanta est nostrorum temporum desidia) *quod vereri crediderim* (esse) *nefas*, ut infinitivus *vereri* pro nominativo positus sit, *crediderim* autem potentiale, quale est illud Virgilii II. Georg. vers. 336. et seqq. *Non alios primâ crescentis origine mundi Illuxisse dies....* Crediderim pro: *facile credo*. *Futurus ensis* (qui nondum est ensis, sed adhuc est vomis, quo agri Dardanii (Romani et Itali a Trojanorum rege Dardano dicti) arantur adhuc; estque etiamnum ensis ille futurus, falx, qua *Latina arva* metuntur, et *sagittae* futurae, sunt ad hoc tempus frondes *virides* a stipite non dum abscissæ: quibus verbis designatur animus ab apparatu belli alienus.

ad vers. 57. et seqq. *Sed ego vates sacri Gradivi* (belli sacri, qualia saeculo XI. adversus Turcas pro recuperanda Palæstina a Principibus Europæ suscipiebantur, et qualia Poëta noster susceptum iri vaticinatur) *non damnabo Romulam pubem* (juventutem inertiae et animi parvi non criminabor).

Vates Gradiivi. Jam eruento
Sparsa mari fluitare tela 60
Videre, totis jam videoor Thetin
Pugnare remis; jam Latiae procul
Turinae, repercussaque circum
Aera micant galeaeque lymphâ.
Jam plana Triton personat aequora
Clangente cornu. Jam video novas 65
Late per Aegaeum moveri
Cycladas Aemoniamque longe

ad vers. 59. et seqq. Quinimo *jam videoor videre*
velut ait Horat. II. Od. I. vers. 21. *audire magnos jam*
videoor Duces: sparsa tela (hostium) *fluitare* (pro
fluitantia, quam infinitivi pro participio praesentis tempo-
ris commutationem apud auctores optimae notae passim
reperire est: velut apud eundem Hor. I. Od. II. vers.
12. et seqq. *Vidimus flavum Tiberim... ire dejectum*
monumenta regis. ect.) *cruento mari* (cruore tincto):
jam etiam *videre videoor Thetim* (pro mari, imprimis
Ægeo) *pugnare* (pro: pugnantem) *remis* (dativus est:
graecus pro: cum remis et per Hypallagen: remos cum
mari pugnare, alterum alteri resistere, *jam micant aera*
repercussa: unde *repercussa?* a *lymphâ aquâ marina.*

ad vers. 65. et seqq. *Jam plana aequora perso-*
nat Triton (auriga Neptuni pro cornu concham mari-
nam inflans, et clangore praese iam Regis annuntians)
vide Virg. VI. Æn. 170. *Sed tum forte cavâ dum per-*
sonat aequora conchâ &c unde cognoscere licet, ver-
bum neutrum personare activa potestate sumi posse.
Cycladas novas moveri pro *classibus navalibus*, quae
consertae speciem insulae preferunt. Ubi Poëta Virgi-
nium præ oculis habuisse videtur, qui VIII. Æn. vers.

Inauspicato sidere lugubrem
 Moerere Lunam: jam profugae retro
 Cedunt Tyrannorum phalanges
 Paene metu glaciante Pontum.

70

691. et 692. *Pelago credas innare revulsas Cycladas*,
 ad quem locum commentator: Naves Antonii, magnitu-
 dine conspicuas Virgilius comparat cum insulis maris
 Ægei.

ad vers. 69. et seqq. *Inauspicato sidere* i. e. in-
 felici, quod Horat. inominatum dixisset, ceterum sine
 substantivo **Cic. I.** Divin. adverbii loco: *inauspicio*,
 inquit, *pomoerium transgressus*. Quod vero *sidus*
Lunæ conjungit, Ovidium sequitur 14. Metam. vers.
 172. *Quod loquor et spiro cælumque et sidera solis*
Respicio ect. porro *lunam Aemoniam pro*: Thessalicam
 idque pro: Turcicam, quia *Lunæ signum Turcis symboli-*
cum est.

ad vers. 70. et seqq. *Tyrannorum nomine Provin-*
ciarum Gubernatores, quos Turci Basschos vocant, intel-
 ligit; pæne metu glaciante pontum; metus enim pallorem
 et frigus etiamque horrorem producit, unde per hyper-
 bolam mare, dicitur glaciari. Eodem verbo utitur Hor.
III. Od. X. vers. 7. *Et positas ut glaciet nives Puro*
numine Jupiter. Et similem nostro sententiam Statius
 habet X. Theb. vers. 621. et seqq. *stupet anxius alto*
Corda metu glaciante Pater.

O D E X X I.

AD URBANUM VIII.

Gentes omnes nunc esse Christi haereditatem.

Pone surgentes super orbe curas
Magne pacati Moderator orbis :

Ad vers. 1. Imitatur Horat. III. Od. VIII. vers. 17.
Mitte civiles, super urbe curas estque aphæreris pro depone, et omitte. Surgere autem dicuntur curae, velut Virgilio X. Æn. vers. 814. surgunt irae ductori: et IX. Æn. vers. 191. Quae nunc animo sententia surgit.

ad vers. 2. Repetit isthic Poëta versum eundem, qui Ode I. Libri cuius octavus supra trigesimum est, orbemque pacatum canit post plurima illa bella de religione gesta, quibus Ferdinandi II. Imperatoris Germaniae regnum sus deque vexabatur, plerisque Germaniae Principibus Christierni IV. Danorum regis factionem primo, deinde Gustavi Adolphi contra Ferdinandum sequentibus. Scripta autem hæc Ode videtur tum, cum Ferdinandi exercitus, clarissimorum virorum ductu, alias, prœlio deinde ad Nordlingam Anno 1634 superior discussisset. Eam victoriam secuta est pax quae Pragæ Bohemorum anno 1635 agente potissimum Saxoniae Electore percussa, a plerisque Germaniae Principibus inita est: qua composta pace Sarbievius Urbano gratulatur hac Ode, orbem terrarum paci restitutum, eumque universi orbis fore Patrem, atque Religionis Christi Moderatorem et Caput futurum. Quae hanc pacem paulo post exeperint mala, Historias consule.

**Mitte Threissas calida phalangas
Fervere rixa.**

Mugiant cano, sine, bella ponto, 5
Cum procellosos struit aura montes,
Cum gemunt cautes, refugaque Calpe
Vapulat unda.

Regna Rhaeteis resonant triumphis
Rumor aurata volitans quadriga 10

ad vers. 3 et 4. *Threissas phalangas* (*Turcicas intelligit*, quae sub auspiciis ipsius Amurati IV. Magni Turciae Domini adversus Persas expeditionem moliebantur.) *Fervere incremento brevi nuspiam non in Virgilio reperi* licet: velut I. Georg. vers. 456 et IV. Aen. vers. 409. et *calidam rixam* apud Horat. III. Od. XXVII. vers. 70.

ad vers. 5. *Sine* (permitte vel omittit) vel pro ipso: *mugiant* velut Hor. I. Epist. XVI. vers. 70. *sine pascat durus aretque* (*captivus*) porro *bella* non hostium illa sed ventorum *mugire* finguntur, velut ipsum mare Horat. II. Epist. I. vers. 202. *Garganum mugire putes nemus, aut mare Thuscum: ponto cano* velut Virgilii de fluctu dixit VIII. Aenei. vers. 672. *sed fluctu spumabant cœrula cano.*

ad vers. 6. et seqq. *Cunt aura &c.* vide quæ diximus ad vers. 13. Odæ XIV. *Calpe* mons Hispaniae ad fretum Gaditanum, cui in Afro littore oppositus est mons *Abila*, qui montes olim continui ab Hercule dissoluti finguntur, atque mare mediterraneum eo freto intromissum: unde etiam columnæ Herculis appellantur. Ceterum Calpe pro monte quovis vel littore edito sumas licet: *refuga unda* (*repercussa*) *vapulat* feritur; vel, ut supra, tunditur.

ad vers. 9. et seq. *Regna* (*omnia Europæ*) *Rhaeteis* i. e. Ferdinandis in Germania, cuius Rhaetiae prima et se-

Grata demittit bene feriatis
 Omina terris:
 Occidit justae reus hostis irae;
 Hostis hibernae dominator orae
 Qua coronatis sinuantur altae
 Turribus Alpes; 15

eunda non parvam partem constituunt, (consule Cellarium) relatis, resonant: et rumor (i. e. fama) volitans super terras, iisdem terris bene feriatis (feriantibus, quasi dicat, jure meritoque ferias agentibus, vide notam nostram ad vers. 29. Odæ hujus Libri I.) demittit (promittit quod est ποιητικώτερον) grata omnia (futurae tranquillitatis: aurata quadriga vide animadversionem ad vers. 4. Odæ I. hujus libri.

ad vers. 13. *Occidit hostis* (Gustavum Adolphum putat) *reus justae irae* (Ferdinandi) quod ut tanto certius de Gustavo dicere se voluisse comprobet, addit per Conduplicationem *Hostis hibernae orae dominator* quod Suecia ad occidentem eumque septentrionalem sita est.

ad vers. 15. et seqq. *Qua altae Alpes sinuantur coronatis turribus:* Quis nescit, quo usque arma Adolphi post prælium illud ad Lipsiam Anno 1631, quod Adolphus superior discesserat, penetrarint? Poëta ad Alpes ipsas propagatam eam victoriam satetur. *Sinuandi* verbo utuntur Poëta passim in aquarum flexibus et anguum describendis, quod tamen etiam optimo jure ad montium recendentium diverticula duci potest, sicut Tacitus *campum sinuari* dixit II. Annal. cap. 16. *coronatis turribus*, cæcum inibus montium velut turribus super reliquam terræ superficiem elevatis, (Virg. III. Æn. vers. 537. *turritos scopulos* dixit) *coronatis* autem quo? nempe: arboribus; vel in formam coronaæ se sinuantibus;

ad vers. 17.

Quà nivis late, saturaeque flavent
Imbrium valles; ubi mitigatus
Sole vicinos jaculante montes
Liquitur humor.

20

Ire captivo patiens fluento
Ister, assertà famulatur unda:

ad vers. 17. et seqq. Quà scilicet, inter Alpes valles saturae nivis et imbrium graecismus genitivi pro ablativo latino frequentissimus in latinis Poëtis; q. d. valles satiatae aquis, redundantibus ex nive tum, cum veris tempore sol pruinias et glaciem solvit, hanc enim sententiam exprimunt verba: *ubi mitigatus humor* (*nivium et imbrium*) *liquitur* ita etiam Virg. I. Geor. vers. 43. — *Vere novo gelidus canis cum montibus humor Liquitur*, quod Servius, paulatim desluit, inquit, *Sole vicinos montes jaculante velut apud Horatium Jupiter dicitur: jaculari sacras arces* I. Od. II. vers. 3, ita hic Phoebus seu *sol montes*. *Flavescent* (valles) aristis ita enim vulgo *τοῦ flavesco* et *flaveo* Poëta, ut sere ad aliam significationem etiam ab aliis scriptoribus non trahatur: velut Cato cap. 151. *Matrum est ubi hordeum, flavescit*. Virg. Ecl. 4. vers. 28. *molli paulatim favescet campus arista*. et Colum. Lib. II. *Sed aequaliter flaventibus jam satis &c.*

ad vers. 21. et seqq. Sententia est: Post has itaque Ferdinandi II. victorias quibus res Catholica, et sacra Tua Sedes Apostolica, meliore loco est constituta, jam Tibi *famulatur Ister* (ita Claudianus in Cons. Prob. et Olyb. vers. 160. *sic nobis Scythicus famuletur Araxes*) *patiens ire captivo fluento* (*patiens vocari* Horat. habet I. Od. II. vers. 43; *ire vero* fluens Virg. IX. Æn. vers. 726. *Euphrates ibat jam mollior undis: fluenti etiam voce delectatur idem* Virgilius *sæpius-eule*) *asserta unda* i. e. vindicata ex aliena potestate:

**Corripit fluctus, et nroque Rhenus
Margine servit.**

Te genu nixi didicere Medi: 25
Laxat intentum Tibi Maurus arcum:
Te pavent Seres, humerisque Parthi
Scuta reponunt.

Fingit effuso Tibi nomen auro
Indus, argutā resonante lympha: 30

ad vers. 23. et 24. *Corripere de celeritate sumi potissimum consuevit corripere viam, maturare significat: corripere campum currus* Virg. III. Georg. 103. et 104. Hic *fluctus corripit* indicat celeritatem, qua Rhenus in Urbani servitutem venire fingitur.

ad vers. 25. et 26. Rectius *genu nixi*, quam quod vulgo: *genu flexi*, quod propemodum nullius auctoris classici auctoritate roboratur: *didicere praeteritum in praesenti, eadem potestate* qua Horatio II. Od. XX. vers. 19. et 20. *Me peritus disset Iber* quae verba interpres, *me cognoscet doctus Hispanus exponunt. Intentum pro simplici tentum.* *Tibi i. e. Tua gratia, seu pro tua parte, scilicet, ut Tibi servitutem suam indicet.*

ad vers. 27. et 28. *Seres populus Asiae ad orientem extremns, ultra Sinas: pavent ari rov venerantur: humerisque Parthi scuta reponunt;* pro deponunt, quod liquet ex loco Horatii III. Od. IV. vers. 60. *Nunquam humeris positurus arcum,* quod commentator ita expavit: *Phoebus arcum semper humeris gestans.*

ad vers. 29. et seqq. *Fingit effuso tibi nomen auro Indus, q. d. Accola Indi fluvii effuso auro, (aurum enim vehere creditur is fluvius) nomen tibi i. e. tuum fingit i. e. auro caelat, tuum nomen caelatum habere vel in vasis, vel tabulis aureis cupit, ut ita suam Tibi observantiam significet; argutā adstipulante lym-*

Te sonant septem vaga fabulosi
Ostia Nili.

pha i. e. sonora fluvii aquā nōmen Tuūm repetere adju-
vante. Parum absuit, quin adduci me passus fuerim, in
sententiam non neminis, qui adserebat: Fluvium Indum,
Strabone teste, duobus ostiis in mare Indicum exonerari;
atque ita figurān literā V, quæ est nominis Urbani
prima, effingere: cui sententiæ verba omnia apte responden-
*tent, essetque *Indus* ipse fluvius, non aecola. Adspic-*
pulari æquivalens τοῦ consentire Ciceronianum est et La-
vianum.

ad vers. 31. et seqq. *Te sonant* activa potestate
pro: tibi sonant, vaga ostia in diversas partes abeu-
tia fabulosi Nili de quo multa est veterum Mythologia,
et Geographorum Physicorumque variant sententiæ.

O D E XXII.

URBANI VIII. PONT. MAX.

laudat carmina.

ARGUMENTUM.

Urbanus Poëtarum omnium, nostrique potissimum
 amantissimus et ipse jam inde usque a puero Poëtica laude
 floruit, Horatio primum Tharselino et Francisco Ruao
 Professoribus usus Florentiae, deinde Bononiae in Aca-
 demia delli Gelati Musam Atticam et Romanam eximie
 meditatus. Exstant ejus Hymni et odae in dies festos,
 itemque Epigrammata in viros illustres, quae Henricus
 Dormalius cum Commentario Romae 1643 in 4ta forma
 edidit.

**Quis temperatae flumine copiae
Siticulosis influit auribus**

**Facundus amnis, et sequacis
Agmine luxuriatur undae?**

Rursumne torvum cantibus Aeacum

5

ad vers. 1 et seqq. *Quis amnis facundus* (versuum et carminum, quae etiam Horat IV. Od. II. vers 5. amni comparat) *temperatae copiae* (lenioris videlicet Musae, quam Pindarica fuit; vel aliorum vehementium Poëtarum, dictum ad instar Horatii, qui I. Od. VI. vers. 9. *Nec... dicere. conamur tenues grandia et IV. Od II. v. 527. ego apis Matinae More modoque.... operosa parvus Carmina fingo*) *flumine* (leni lapsu, velut aquae) *influit auribus* (meis) *siticulosis* (sipientibus, avide versus Tuos Urbane, excipientibus, quas Juvenalis Sat. IV. ver. 50 *bibulas* dicit: Horatius hac voce utitur in Lib. Epod. Od. III. vers. 16 compellans *Apuliam siticulosam*, quod ardoribus solis majoribus torretur, et terra pluviam sitit) *et agmine undae sequacis* (quod ipsum Virgil I. Georg. ver. 322 *agmen aquarum* dixit, et V. ver. 193 *Maleaque sequacibus undis*, ceterum l. c. Virg. *sequax unda est procellis obnoxia*, quasi nautas persequens: in nostro simpliciter: sequens se ipsam, et sequendo impellens) *luxuriatur* (cum voluptate quadam exspatiatur, auribus meis oblectamento est?)

ad vers. 5 et seqq. Comparans Urbani hymnos cum Orphei laudibus Deorum, ejusdemque vatis antiquissimi lyrae virtutem describit, inquiens: *Rursumne Orpheus* (ut olim cum ad inferos descendisset uxorem Enrydicen repetiturus) *cantibus suis torvum* (severum) Aeacum (inferorum judicem) delenit (placat, quo verbo utitur Horat III. Od. I. ver. 42 et 43, nec purpurarum sidere clarius Delenit usus.

Delenit Orpheus ? quo duce , Thraciae
 Aurita reptavere saxa , et
 Aemoniae saliere rupes :
 An Daedalei pectinis arbiter

Quo duce (Orpheo) aurita Thraciae Saxa
(Horat. in simili fictione Orphea I. Od. XII. vers. 11.
auritas... Ducere quercus canit, qua voce vita et
aurum sensum hic arboribus, illic lapidibus tribuitur
Confer Claudiani egregium locum ex Lib. II. de raptu
Proserpinæ vers. 17 et seqq.) reptavere exprimit motum
lentum ob saxorum nativa pondera: et Aemoniae sa-
liere rupes? Thraciae et Aemoniae epitheta ad patriam
Orphei reseruntur.

ad vers. 9 et seqq. Poëta comparationem exequens,
 interrogatione etiam continuatâ usus , quaerit quo-
 dammodo ex se ipso : Anne arbiter Lyrae (Apollo)
 meis auribus obstrepit, et fontes eloquii poëtici scaturire
 facit; Qui amnes facundiae lyricae jam leni, jam ve-
 hementiore lapsu ita oblectant aures , velut Peneus ,
 Hebrus , Parthenius et Castalia. Porro sequentium stro-
 pharum verba ita in ordinem grammaticum sunt redi-
 genda: *An vates (Apollo) pectinis Daedalei* (singitur
 enim Daedali discipulus, ejusdemque ex sorore nepos
 Talus nomine, pectinis inventor fuisse) *arbiter* (appo-
 sition *τοῦ* vates) *amicā* sua *lyra aures Pierias* (Musarum)
triumphat. activa significatione, quasi dicat: *sibi de-*
vincit et stupefactas tenet, et disertos amnes eloquii
*(Hypallage pro *τοῦ* diserti eloquii amnes) reseravit*
praeteritum in praesenti, pro reserat: ceterum reserare
contrarium est τῷ claudere, quale est illud Virgil:
Ecl. III. vers. ult. Claudite jam rivos pueri etc.

Denique Dædalum Lyrae arbitrum fingit ipse etiam,
 cuius Poëses laudes recensentur , Urbanus VIII. qui
 parva verborum mutatione , in Ode ad Jo. Bapt. Stroz-

Vates amicā Pierias lyra 10
 Triumphat aures, et disentes
 Eloquii reseravit annes !
 Qualem pudicis Penea fontibus
 Admurmurantem Thessaliae juga
 Mirantur, aut praetervoluto 15
 Attonitus stupet Haemus Hebro :

zam haec habet: et aureo *Dum Te crientem pectine Daedalas Testudinis chordas, silenti Obstupuit Pater Arsus unda.* Postremo verbum triumphandi activa potestate et Virg. III. Georg. v. 33 *Bisque triumphatas utroque ab litore gentes et Horat III. Od. 3. vers. 43. triumphatisque possit Roma feror dare jura Medis.* et alii passim habent Poëtæ.

ad vers. 13 et seqq. Prosequamur deinceps ordinem grammaticum: *Qualem* (pro: *sicut*, Poëtis familiare pronomen) *sicut*, inquam *Penea* (fluvium Thessaliae, et accusativus est) *admurmurantem* (confer Horat. I. Epist. X. vers. 20 et 21) *pudicis fontibus* (Synecdoche τὸν continentis pro contento, et ablatus est: quo *admurmurantem?* *aquis pudicis* (Daphnes Penei filiae historiam tangit) *mirantur juga Thessaliae* (Olympus et Ossa montes, quos mediis interfluit Peneus) aut *sicut Aemus Mons Thraciae*, *Turcis Bałkan*, qui superatus nuperrimo bello invictissimo Imperatori et Regi nostro victoram et nomen duci peperit) *attonitus* (murmure fluvii) *stupet praetervoluto: Hebro* (fluvio, constructione eadem, qua Horat. verbum *stupendi* conjungit Ablativo vel si mavis Dativio II. Od. XIII. vers. 33. *Ubi illis carminibus studens... bellua centiceps etc. qualeme pro τῷ sicut Parthenium* (Nestum putat, alias Nessum, qui teste Solino Pangai montis radiees lambit,

Qualemque puris Parthenium vadis

Dignantur alto muta silentio

Pangea, vel circumsonantem

Castaliis Helicona rips

26

Parnassus audit, dum nova gaudia

Jam jam futuri Veris aventibus

Enarrat agris, et virarenti

Exilio remeare Majum.

qui, nisi alia causa subest, *Parthenius* græce, latine *virgineus* dicitur, quod id genus hominum, rosis et floribus, quo Pangæa abundant, delectatur;) *vadis* *puris* (repete ex versu superiore tertio *admurmurantem* vel, quod sequitur, *circum sonantem*, quo *vadis* (aquis) *puris*, *Pangea* Nominativus pluralis, quod frequentius est, quam singularis *Pangæus* Mons Thraciæ in Macedonia confinio) *muta* (silentia) *dignantur alto silentio* (dignum ducunt attentione tacita, ut fere solet verbum *dignor* ablativo consociari, velut Ovid. III. Trist. Eleg. XIV. ver. 51. *Qualemque igitur venia dignare libellum.*) et prosequitur: vel sicut audit (tacens) *Parnassus* *Heliconem* (montem Boeotiarum in confinio Phocidis haud longule a Parnasso dissitum, et est uterque Musis sacer) non suo strepitu se *Castaliis* fontibus circumsonante i. e. murmur *Castalii* fontis reverberantem, idque tum potissimum, quum *nova gaudia veris et Maji* *remeantis* annuntiat (*Castalio* fonte pruinis et gelu soluto) Supple nunc apodosin ad quatuor has comparationes: ita meas aures sitientes facundus amnis *Carminum* Urbani sibi utique conciliat, atque in admirationem sui abripit. De Fonte *Castalio*, quem Virgilius, seu quicunque ille auctor est, in Culice *Castaliam* absolute appellat, ibidem ita canit: *Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda; ad quæ sonum refertur* *enarrat.*

O quis Latinae fons opulentiae
 Exuberanti vividus impetu
 Bacchatur? et lymphata secum
 Corda rapax animosque volvit?
 Qui nunc profundo volvitur alveo
 Sententiarum: nunc gracili fluit
 Torrente linguae: nunc apertis
 Ingenii spatiatur arvis:

25

30

ad vers. 25 et seqq. Repetitur per emphasis eadem sententia, quæ I^a Strophe præsentis Odæ aliis verbis est composita. *O quis fons Latinae opulentiae* i. e. Musæ Latinæ, ejusdemque copiosæ: sequitur Hypallage pro *τοῦ fontis vividus impetus*, ita enim Horat. IV. Od. IV. vers. 10 exuberanti (abundanti) *bacchatur?* cuius verbi proprium domicilium est in orgiis Bacchantum, migrat tamen aliquando ex furioso thyaso in lætitiae et gaudii excessum significandum, estque idem, quod supra luxuriatur; translataqne sunt verba in bonam partem ex deteriore, cui propria sunt, tracta; velut etiam *lymphata corda*, quod sequitur, et quod proprium est insanientium, qui vitium aqua conspecta contraxerunt. Ceterum Poëtæ entheo abrepti furere singuntur, ut nihil mirum sit furore etiam legentes eorum carmina abripi:

ad vers. 29 et seqq. Translatione jam ab aquis suscepta in eadem perseverat, et quod Horat. IV. Od. II. strophe secunda de Pindaro canit, id noster tota fere Ode hac ad Urbanum accommodat: et sicut Horatius Pindarum ait: *ore profundo immensum ruere et fervere*, ubi *τοῦ ore pro fonte positum est*: ita Sarbievius Urbanum *profundo alveo sententiarum volvi*, modo *gracili torrente fluere*, modo *apertis arvis expatiari singit*. Porro *gracili torrente linguae* id est: *modesto carmine*,
eui

Suique latè pronus, et insolens
Exire ripam, non tamen obviā
Captivus algā, nec tenaci
Ire piger per aprica limo;

35

cui oppositum habet Horat. Epist. II. vers. 121. *Latiumque beabit divite lingua* i. e. sermone opulento. Spatiari proprium est ambulantium et transfertur ad fluvios, velut ab Ovidio V. Trist. III. Eleg. vers. 23 *lato spatiantem flumine Gangem*, etiamque ad orationem a Quintil. Lib. II. Poëtica themata *juvenibus pertractare permittemus*, ut expatientur et gaudeant materia.

ad vers. 33. *Suique late pronus* i. e. effundens
se late, estque constructio eadem, qua Claudianus usus
est in affini voce *praeceps* de IV. Cons. Honor: vers. 242
iram... *praecipitem sui*. Confer, quæ dicta sunt ad
Oden. 22 Lib. hujus: quodsi enim dicere licet: *pronus*
convertere quod est in Claud. I. c. vers. 118. *Pronus*,
et in melius gaudens convertere fata licebit etiam
juxta animadversionem nostram dicere *pronior audendi*,
quod item in Claud. Lib. II. in Rufin. vers. 400 repe-
rire est, his verbis: *Unus per medios audendi pro-*
nior etc.

Atque hic liceat nobis etiam esse prōrioribus
audendi nova linguae Poēticae praecepta in tyrohum
gratiam. Audeo itaque affirmare, quod jam supra ostendit
brevius, adjactiva ex verbis præcipue nata construi
solere 1º cum infinitivo, quod prosus græcum est, velut,
κακοὶ γεωγεῖν κείσεις εἰθεδουμέναι 2º cum Genitivo 3º
cum Dativo, 4º cum Accusativo juneto præpositionibus
ad et *in*, qui omnes casus vel gerundii vel substantivi
alius esse solent. Omnia nobis instar esto adjективum,

Sed clarus auro fertur, et Atticis
 Ludit smaragdis, non sine consono
 Liquentis electri susurro, et
 Murmure praetereuntis auri.

de quo agimus, *pronus*. Eat autem verbale a *pro* et *nuo* ut sit contractum ex *pronus*, velut *arduus*, *cernuus* etc. Jamque exhibitis exemplis cum infinitivo et genitivo, videamus dativo consociatum: *Aquiloni prona* quod habet Columela Lib. III. Cap. II. haud ita procul ab initio, et *pronior paci* quod reperitur in Valer. Max. VII. cap. III. ext: 10. Cum Accusativo porro et præpositione, *ad* vide sis in Panegyrico Plinii §. 84 *pronus ad simultates* et in eodem Pauegry, *procus ad aemolandum*. Et eum præpositione *in*: *pronus* in verbera Virg. V. Aeneid. vers. 14 iisdemque verbis in Claud. in Epithalamio Palladii et Celerinæ vers. 113. Ita alia passim adjectiva: v. c. *aptus*: *silvaque montanas oculere apta feras* Ovid. II. Fast. vers. 216. Cum genitivo nullum exemplum quidem in promptu est, sed Dativus tanto frequentior: *insidiis tegendis aptus*, Curt. Lib. VIII. cap. 31. *Plurimus in Junonis honorem Aptum dicit equis Argos*: Horat. I. Od. VI. ver. 8 et 9. *Minus aptus ad hujus generis hostem* Ces. B. G. Lib. V. cap. 26. Atque ejusmodi adjectiva enumerat ordine longo Veclnerus in Helenolexiade Libro I. Parte II. cap. XXI. quorum duo cum infinitivo in eadem, de qua agitur strophe occurrunt: *insolens exire* et *piger ire*. Ubi etiam animadverte cum comparativo gradu frequentiores esse ejusmodi infinitivos, et etiam cum Casibus ostensis desiderari sæpe participii complementum v. c. in exemplo allato: *aptum equis* (supple:) *alendis vel educandis Argos*: in exemplo vero Curtiano abesse integrâ sententiâ possit rō *tegendi*. Eadem denique adjectiva reperiri cum supino in u et Grammatici

Non stagna Cirrae, non ego Phocidos 43
 Desiderarim: Te prope vitrea,
 Urbane, Dirce, Te fluenta
 Virginei comitantur antri:
 Olimque simplex collis et invius,
 Nunc hospitalis, te duce. Dardanae 45
 Parnassus immigravit aulae,
 Et Latii rediere vates.

passim, et nos cum Gellio Lib. IV. cap. 16 pro gerundii accusativo cum præpositione *ad* poni posse indigavimus, etiamque inde conjecturam derivavimus, supinum in *u* multis locis dativi locum occupare.

ad vers. 33 et *insolens exire ripam*. Interpres Germanicus Professor Rathsmann vertit: *Nimmer doch über die Ufer schweifet*. Memini quidem me legere *insolens* significatione neutra, quasi *non solens*, multo frequentius activa potestate valet, idem ac *intemperatus*, *solitum morem excedens*. Malim itaque dici ab auctore nostro: *Amnem non cohibere seripis*, sed *expatiari*, *exuberare*, *late pronum fieri sui*, quæ omnia indicant idem, quod Horatius Ode I. Lib. IV. v. 5 et 6, *Monte decurrentis velut amnis, imbris*, *Quem super notas aluere ripas*, etc. quem locum ob oculos habuit Sartorius, et quod magis congruit et cum præcedentibus et sequentibus; *ire*, *per aprica* etc. Alga (rzesa) propria stagnantium riparum est et sese per campum, quod noster *aprlica*, effundentium.

ad vers. 34. Sententia est: et quamvis superfusus ripis, *alga* et *limo* turbanda foret aqua, tamen limpidus eouspicitur labi, auro permixto smaragdis, assurrante electro, quibus nobilibus metallis comparat ve-

Magnusque tanto Pindarus aemula
 Minor videri gaudet, et Appulæ
 Miratur heredem Canioenæ
 Pegaseos vacuare fontes

50

Seu dithyrambo liber, inutilēm
 Verbis catenam demis, et affluis
 Impunè; seu rursum severo
 Verba placet cohibere nodo.

55

nustas Poëticorum Urbani operum virtutes et amoenitates.
 Porro fertur auro etiam apud nos plynie zlotem, et omnes
 promiscue Latini. Atticis smaragdis dictum non quod
 Attica smaragdis abundet, sed quod Carmina Urbani
 leporibus atticis niteant, qui smaragdis comparantur.
Liquentis electri quod electrum liquendo facile.

ad vers. 41. et seqq. *Stagna συνεκδοχικῶς* pro stagno
 Cirrhæ, i. e. fonte, sito in litore maris Corinthini in
 Phocide, neque ego magis optarim (potentialis) quam
 cumque Phocidis aquam entheo Poëtas inebriantem, quippe
 cui sufficeret una *Dirce* Thebea et Castalia, quas non
 opus esset visere in Phocide, vel Thebis Pindaricis, cum
 eas ipsas aquas nunc reperire licet in Italia, reperire
 licet Rōmæ, utpote comites Tuas Urbane, postquam ad
 Te deverterunt et Cirrha Phocidis, et *Dirce* Thebanæ,
 et Castalia cum ipso monte Parnasso, et postquam antiqui
 seculorum aureorum Vates Tecum in Latium redierunt
Dirce uxor Lici pro Antiope in matrimonium assumpta a
 filiis ejusdem Antiope Zetho et Amphione caudæ immitis
 tauri illigata, miseratione Bacchi in fontem cognominem
 conversa est non procul a Thebis; laudatur saepius pro
 pter Pindarum Thebanum. *Antrum* denique *virgineum*
 Castaliū est, quod vide Ovid. III. Metam. v. 14.

Sed non profanae gloria laureae,
 Umbrata Grajis tempora frontibus
 Adcomit, at conchyliata
 Pulcher honor redimit coronā,

ad vers. 45 et seqq. *Olimque simplex q. d. quo*
 olim singuli vix per singulas aetates poete euntesbantur,
 is nunc est pervius et *hospitalis*, i. e. plures nunc Poetae
 lauro illustres sunt. *Te Duce Urbane*, postquam omnis
Parnassus, *Dardanae aulae* scilicet Urbi Romae *im-*
migravit, *Latii* etiam *Poetae Marones*, *Nasones*, *Hor-*
atii redierunt. Porro *Dardani* pro *Trojanis*, *Trojani*
 pro *Romanis*.

ad vers. 49 et seqq. *Sententia est*: Pindarus non
 aegre fert, se vinci ab Urbano Dithyrambis, qui etiam
 jam non miratur, cur heres (Urbanus) *appulæ Camoenæ* i. e. Horatianæ, in Apulia scilicet nati Horatii,
vacuet Pegaseos Græciae fontes, qui in Italiam Romanam
 commigrarint. Hoc autem fit, quotiescunque.

ad vers. 54 et seqq, *Seu Dithyrambo liber* (scri-
 psit enim aliquot Urbanus Dithyrambos) *liber* i. e. ut
 solent Dithyrambici exleges esse in strophis suis et Epodis,
 quod Horatius Lib. IV. Od. I. *Seu per audaces nova*
dithyrambos verba devolvit, numerisque fertur Lege
solutis vel reddit ad solita Odarum latinarum vincula:

ad vers. 58 et seqq. Cumque de Dithyrambis Ur-
 bani injecta esset mentio, percommode videbatur Sar-
 bievio sequi regulam Horatii, in citata modo Ode pro-
 positam: *nova... verba devolvit*, uti novo verbo *ad-*
comit, aitque: Nunc jam non laures adcomit (*ador-*
nant) tempora Poetarum sed conchyliata i. e. purpurea
coronas qualis summiornm esse Pontificum solet, et pur-

Et dedicatam purpura laureae
Furata frontem subrubet. Hactenus
Florete Vates; jam Latino
Vester honor adolevit ostro.

60

purea vitta, ita quidem ut Poëtæ abhinc insigniri possint ornamenti vatum, quod laurus est, et victorum quam purpura paludati Triumphatoris designat. Verba ita digere et intellige: Gloria nunc jam non profanæ laureæ frondibus Grajis adcomit tempora umbrata; at honor pulcher i. e. proemium vatum nunc redimit (*uwiericza*) eadem vatum tempora corona conchyliata, ubi cave conchylia pro margaritis accipias, sed secundum illud Lucretii Lib. VI. v. 1072. *Purpureusque color conchylii mergitur una Corpore cum lanae; et frontem dedioatam laureae eidem laureae furata purpura subrubet.* (Purpura zaiawszy czoło czerwienieie).

ad vers. 64. et seqq. Hactenus ad ævum Urbanⁱ VIII: florete vates: i. e. contenti estote florente lauro. abhinc honor vester i. e. corona vestra adolevit promota est et exultat *Latino ostro*, *colore purpureo* ita hic intelligenda sanies ex ostreis velut supra liquor ex conchylio ad tingendas pretiosarum lanarum colores. Postremo adolesco habet perfectum duplex *adolevi* aut adolui, construitur simili significatu cum accusativo *a* dativo, Sic Ovid. V. Fast. v. 175. Virtus annis adolevit.

ODE XXIII.

AD LEVINUM HIELIUM.

Laboris Commendatio.

Nam quae purpureis fumet honoribus
 Formoso melior de gregc victima,
 Quam cui solliciti vomeris aspero
 Ussit colla labor jugo?

Condit regna labor. Fabricio bene 5
 Fidenti patriis jugera sarculis
 Frondent in mediis sceptræ novalibus
 Pulchrae messis adoreae.

ad vers. 1 et seqq. *Nam quae pro quaenam*
quod hysteron proteron frequens est Ciceroni et aliis
promiscue scriptoribus victimæ Diis offerenda fumet
(potentiale) potest tumare; purpureis honoribus i.e.
igni et sanguine Deorum honori sacra formoso de gregc
mugientium melior i.e. aptior, quam illa, cui labor
ussit per aphaeresin pro exussit colla aspero jugo
vomeris solliciti? sollicitus autem est jactatus, vehe-
menter motus velut in illo Virg. IV. Georg. v. 262. Ut
mare sollicitum stridens resfluentibus undis. Quæ po-
test esse victimæ suavior diis, quam bos labore attritus,
qui plura hominibus beneficia præstítit integro juvenco?

ad vers. 5. et seqq. Labor homini assiduo regna
 parit; velut Fabricio, bene fidenti jugera patria patriis
 sarculis, crevit Dictaturæ regnum in mediis novalibus,
 (na swiezo wykarczowanych nowiznach) quod regnum

Rastrisque et rigidis parce ligonibus:
 Uncum, Lictor ait, rejice sarculum:
 Quae sevit Cererem, regna metet manus,
 Glebae fraude superbior.

Jam nunc emeritos solve jugo boves,
 Jam nunc nobilium colla Quiritium
 Aequi flecte memor, parcus et abstinens
 Romani pater imperi.

ei sceptrum erat eidem Fabricio *mensis* pulchræ adoreæ
 (plonem pięknéy nagrody) Frondent sceptra pro crescent
ei in novalibus suo labore et suis manibus eruta segni
 silva, vide Quint. Declam III. c. 4. De adorea sic
 habeto: *ador* seu far olim conferebatur militibus victoribus
 honoris ergo: unde coeptum est pro paupere sub abjecti
 adhiberi.

ad vers 9 et seqq. Eadem repetit apostrophe ad
 Fabricium: *Fabrici, parce* (omitte jam) *rigidis ligo-*
nibus, et rejice sarculum: manus enim Tua laboriosa
metet pro frumento sato, *regna*, quæ manus postquam
 fraudavit glebam, superbior esse poterit. *Solve jugo*
boves emeritos: abhinc alia jam colla, scilicet colla
 Quiritium flectes, memor aequi, et pater parens imperii,
 i. e. non abusus potestate imperii, imo abstinens, ubi
 æquitas permiserit, eosdem, boves, utriusque fortunæ
 tuæ memores, mitte Jovi, tui enim boves hodie sunt
 jam digni, ut securibus Pontificum feriantur, vide Hor.
 III. Od. XXIII. vers. 9 et seqq.

ad vers. 17 et seqq. Nunquam hispida puniceis
 crinibus pellis, (qnæ pendebat, belligera fraxino Martis)
restierat pro vestivisset conditionali) deciduis auri jobis
 Grajum Jasona: nisi ipse egisset boves, imperii difficiles,
 domina dextera, vertere saucia dentibus Chalybum
 ferratis

Fortunae memores nunc, age, victimas
 Justo mitte Jovi. Quae modo mugil
 Sacris Pontificum digna securibus
 Aras illinat hostia.

20

Nunquam puniceis hispida crinibus,
 Martis belligera pendula fraxino,
 Auri deciduis vestierat jubis
 Gra,uni pellis Iasona;

Si non difficiles imperii boves
 Egisset domina vertere dextera

25

erratis litora Phasidis: et quamquam boves sorabant fulmineo halitu animosum agricolam, et quamvis circumfundebant iidem boves eidem fluvium sumi et noctis inhospita nubila; tamen et nequidquam bellator campus inhorruit jaculis viridium dentium et semine, et nequidquam cristatus ager peperit castra virentibus galeis, quippe ea tempestas peditum immoriens natali metu ad fulgur acinacis Thessalici occubuit, et densa seges hastarum micantium interiit.

Justo Iovi hic significat: Deo merita aequa lance appendenti. Confer item Hor. II. Od. XIV. v. 28.

Hispidus a pilis et crinibus potissimum transseritur ad agros vel neglectos, vel messos proxime: puniceas lanas aurei velleris ait, auro deinde fuisse inbutas, velut tintores lignorum aureum colorem rubro superlinunt. Fraxinus belligera Martis cuius lignum hastis præcipue utile erat; unde Statius in Theb. Lib. v. 103. et instantes belli potura cruores *Fraxinus*.

Ferratis Chalybum saucia dentibus
Colchi litora Phasidis.

Quamquam fulmineo pectoris halitu
Sorberent animosum agricolam boves, 30
Et fumi fluvium et noctis inhospita
Circum nubila funderent:

Domina dextra ne mirare ita enim passim substantiva mobilia etiam generi neutro substantivorum se se accommodant v.o. servum pecus Hor. I. Epist XIX. v. 119 et *Domina Roma* Ovid. Subodoror aliquid in hac convenientia prorsus ad Participium præsens, quod Romani aversantur delitescere. Vestigium persequar. Vide, quid dixerimus ad Od. I. 1. V. vers. 29.

Nisi egisset boves vertere litora: i. e. nisi coëgisset boves sub jugum, quo conjuncti vertebant terram litori Phasidis propinquam, vertebant autem dentibus Chalybum, i. e. vomere bidente, et occa pluribus ejusmodi dentibus instructa. Porro Chalybes populus Asiæ minoris circa Pontum sunt, apud quos ferrum magna copia eruitur et in alias terras mittitur, quod resert Plin. Lib. VI. cap. 4 et VIII. cap. 5. Ji dicuntur artem invenisse, qua nucleus ferri, id est, pars purior ferri, certa quadam temperatura indurescens magis, ad acies aptissima es. De Phaside et Colchide vide supra.

Difficiles imperii, vide iterum genitivum cum adjectivo verbali, cuius loco infinitivus poëticus subire potest: *difficiles regi*: vel accusativus cum *ad*; difficilis ad regendum vel dativus: difficilis regendo vel supinum in *u* difficilis rectu. Gui rei alia exempla classica habeto: *Difficile est judicari*, cui aetati fuerit *aptissimus*. Corn. Nep. in Attico e. 16. *Decorum illud dif-*

Nec quidquam viridum e semine dentium
 Bellator jaculis campus inhorruit;
 Et late peperit castra virentibus 35
 . Cristatus galeis ager.

ficius est ad eloquendum. Cic. l. Offic. c. 23. Difficile ad fidem est Liv. Lib. III. cap. 5. Parens in liberos difficilis Acc. apud Cicer. III. de Nat. Deo. cap. 29. Vide notam ad vers. 33 Odæ proximæ.

Quanquam fulmineo halitu, finguntur enim boves
 ignivomi fuisse, sorberent, quasi ustularent, i. e. partes
 ejus corporis summas adurerent, et funderent fluvios
 sumi, quod Virgilius libro VIII. vers. 257. plurimus
 undam Flumus agit. In hospita nubila sumi dicuntur,
 quod oculos et guttur infestat, et homines fugat.

Et tamen nequidquam (frustra); bellator i.e. Campus bellicosus, qui sibi ipsi milites procreat e semine dentium viridum, non quidem antequam sererentur viridum, sed cum pullularent, velut herbæ, quod idem valet de virentibus galeis, cristatus ager Hypallage pro cristatis galeis.

Ceterum: quasi dixisset: Sed omnia illa impedimenta, et difficultates superavit labor Jasonis indefessus, et ei vellus aureum conciliavit: namque ut primum fulsit acinaces Thessalicus i. e. Jasonis, occubuit ista tempestas (velut apud Virgil. Aen. XII. vers. 283. tempestas terorum pro multitudine) peditum immoritur cum dativo perpetuo ponitur, qui hic est *natali* (Thesalicus ensis fecit, ut *natali*) i. e. suo patro, etiam Thessalico) metu (forma contracta pro *metui* dativo non contracto,) occubuerit, omnia hic Thessalica sunt, aureum vellus, ejus sessores Phryxus et Helle, Jason, Argonautæ. unde *natalia*

Quippe ad Thessalici fulgur acinacis,
Natali immoriens occubuit metu
Tempestas peditum, et densa micantium
Hastarum interit seges.

40

adjectivum pro *suo* recte positum, quod Horatius *natale solum*, i. e. patrium solum: nempe Thessalicus exercitus, quia manu Jasonis Thessalici satus immortuus est ab fulgere acinacis Thessalici, vivus immortuus est *natali metui*.

Figurarum Poëticarum et Rheticarum item
Terminologicorum vocabulorum
expositio,

Aphaeresis Figura Poëtica, qua particula sive separabilis illa sit, sive inseparabilis a verbo abstracta omittitur v. c. *linquo* pro *relinquo*; *mitto* pro *omitto*.

Hypallage Figura Poëtica, cum adjectivum alii nominis sese accommodat, quam ad quod proprie pertinet; v. c. In *nova* fert animus *mutatis* dicere *formas corpora* pro In *novas* *formas* *mutata* *Corpore* dicere fert animus.

Prosopopoeia cum rei inanimatae actio et vita tribuitur quasi viventi personae v. c. cum *Parietes* curiae vel irasci, vel abhorrire dicuntur.

Tmesis Figura poëtica verbum compositum dividens, et voculam medium interserens: v. c. *Quam rem* *tunquē* pro *quamcunque* *rem*.

Praeteritum in praesenti, dicitur cum praeterito tempore Poëtae utuntur pro praesenti v. c. Sunt quos curiculo pulverem Olympico Collegisse pro colligere juvat: uti lingua nostra utitur futuro pro praesenti: v. c. *rzeknie* pro *toč rzezce*.

Grammaticōs adverbium pro secundum morem et regulas grammaticorum.

Tropicōs i. e. per Tropum vel Translationem: *przez przenośnią* cum dicitur: *slos aetatis* pro *rjsuventute*.

Metaphora Allegoria est Tropus continuatus cum in eadem translatione vocum persistit Poëta a capite usque ad calcem: velut Horatius in Ode: *O navis referent in mare te novi Fluctus XIV. Lib. I. Carmen.*

Synecdoche Tropus est cum pars pro toto, cum materia pro re ex materia facta, cum species pro genere, unum pro pluribus et vice versa ponuntur.

Metonymia Figura est, cum causa pro effectu, continens
pro contento vel signum pro re signata, et vice
versa sumuntur.

Hyphen, cum adverbium jungitur substantivo: v. c., *po-*
pulus late rex pro *late regnans*.

Syndesmos Figura Rhetorica est cum duae sententiae
uno verbo comprehenduntur.

Hendiadys Figura Poëtica cum unum per duo nomina
exprimitur seu in duo dividitur. *Tum succos her-*
basque dedi pro succulentas herbas Tibull.

Diplasiamus Poëtica Figura cum consonans in media
voce duplicatur, ut syllaba brevis praecedens longa
fiat: v. c. *retulit alias enim retulit*.

Syncope est cum duae vocales in unam contrahuntur:
v. c. *Ingeni* pro *ingenii*.

Metabasis vel *Metabola* literarum ex uno in alium lo-
cum transpositio v. c. *arcesso* pro *accesso*.

Heterosis, cum numerus pro numero tempus pro tem-
pore ponuntur.

Et hae quidem sunt Figuræ, quarum hoc Tomulo men-
tio fit.



83079

TYPOGRAPHICOS ERRORES

ITA CORRIGE;

P. paginam, T. textum. N. notam significat.

- P. 1. v. 2. 1822. quo anno coepita est, nam anno demum 1824. quem titulus praefert, absoluta est Editio.
- P. 3 in Arg. ab ima pagella vers. 3. 1823 pro 1623.
- P. 6 in N. 3. v. 4. flamæ pro flammæ.
- P. 8, in N. 2. v. 6 eum pro cum.
- P. 11 in N. 1 v. 1 Myrto pro A Myrto.
- P. 15 in N. 2 v. ultimo familiarium pro familiarium.
- P. 18 in N. 3. v. 2 tellæ pro telæ.
- P. 18 in N. 4 v. p. siccerit pro siccat.
- P. 21 in N. 2. v. 5. Acrocorynthus pro Acrocorinth.
- P. 27 in N. ver. antepenult. sæcula pro secula.
- P. 28 in N. 1. v. 4. feuerit pro fuerit
- P. 30 in N. 2 v. 3. transfert pro transfert.
- P. 50 in N. 2. v. 3 cadetur pro cadatur.
- P. 51 in N. 1. v. 1. teqq. pro seqq.
- P. 52. in N. 1. v. 5 judicanda pro jucunda.
- P. 55. in N. 1. v. 14. cohilitam pro cohibitam.
- P. 56. in N. v. 3 abimo: sacrificiis pro sacrificiis.
- P. 57. in N. 3. v. 2. mire pro mero.
- P. 65. in N. 3 v. 4. alias pro alios.
- P. 69 in N. v. 12 canare pro canere.
- P. 70 in N. 3. vers antepen. effin. pro affin.
- P. 72 in N. v. 12 κελευσουν pro κελευσον
- P. 72 in ver. ultimæ Helenotexiade pro Helenotexiade.

- P. 77. in N. 4. v. 6 vituperada pro vituperanda
P. 83 in N. 2. v. 2 innientem pro tinnientem.
P. 83 in N. 2. v. 3 thlamidum pro chlamidum.
P. ibid. ver. ult. colligabantur pro colligebant.
P. 85. in N. 1. Claudiani vers. pro Claudiani versunt.
P. 88. in N. 2. v. 7 dicitus pro dictus.
P. 89 in N. 4. v. 5 Diaplasiasmus pro Diplasiasmus.
P. 98 in N. 2. v. ἀπειρόν pro αἰτεῖρόν
P. 102 in N. 1. v. 14 Ixatis pro laxatis.
P. ibid ver. 5. pour servir pro pour servir.
P. 113 in N. 1 v. 4. ne calcese, ne calca ēam pro ne
calces, ne calca eum.
P. 113 ibid. v. 8 Seachus pro Aeacus
P. 118 in N. 2. v. 13 žel pro vel.
P. 119 in N. 1. v. 7. τὸ pro τῷ
P. 120 Argum̄ 6. 8 exeritum pro exercitum.
P. 124 in N. vers. ult. Delphni pro Delphini.
P. 130 in Not. 1 v. 1 derivatus pro derivatus
P. 142 in N. 4. v. q̄eu pro quæ
P. 143 in N. 1. v. 1 dominatib̄s pro dominantib̄s
P. 147 in T. v. 1 nominata pro dominata.

Za pozwoleniem Cenzury.







